VINDICIAE
VITAE, ET GESTORUM
S. THAUMATURGI
NICOLAI
ARCHIEPISCOPI MYRENSIS

SECUNDUM

ACTA ANTIQUA, ET VULGATA.

ET ANIMADVERSIONES

IN ACTA PRIMIGENIA FALCONIANA

Nuper inventa, & typis excuſa An.MDCCLI.

AUCTORE

NICOLAO PUTIGNANO
Regalis Eccleſiae S.Nicolai Barienſis Canonico.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

NEAPOLI MDCCLIII.
Ex Typographia Benedicti Gessari
Superiorum facultate.

Digitized by Google

Sincera, mihi crede, veritas eſt, & ſi animum repurgatum invenerit, ipſa per ſe recte influit. Falſitas circuitiones quaerit, & anfractus, ſeque verborum ambitu ſolicite circumdat, & protegit.

Melchior Canus lib.XI. cap.VI. in fin.

Si quis humana fide probabiliter uſus fuerit, falli nimirum aliquando poterit, reprehendi ſine injuria non poterit.

Idem loc. cit. Cap. poſtremo verſ. fin.



CAROLO

HISPANIARUM INFANTI

UTRIUSQUE SICILIAE, ATQUE HIERUSALEM, &c.

REGI

PIO FELICI AUGUSTO.

QUEM ad pedes Majeſtatis TUAE, REX SERENISSIME, venerabundus depono, Libellus eſt, in quo ſuſcepta S. NICOLAI Myren-

ſis cauſa omnium oculis exponitur. Tibi ſiſtitur, Rex Pientissime, ut ejus Tu lubenti animo tutelam arripias, ad cujus amplitudinem, gloriamque ornandam, ac tuendam Serenissimi Majores Tui perennia Pietatis, ac Religionis monimenta reliquerunt. Divus Nicolaus toto pene terrarum Orbe ſignis, miraculiſque celeberrimus impetitur; quique per tot ſaecula *Archiepiſcopi* Dignitate conſpicuus colebatur, in praeſentia e *Metropolitana* Myrenſi Sede vi, atque injuria dejectus, in ſuffraganeorum Epiſcoporum numerum ab alio *Metropolita*, erudito caeteroquin Viro, Nicolao Carminio Falconio rejicitur. Is ſummo ſtudio id conficere conatus, ejuſdemque Sancti Oſſa ſacro liquore, quem *Manna* vocamus, manare, ſi non aperte negare, dicteriis ſaltem in dubium revocare auſus, Sanctiſſimo Pontifici Benedicto XIV. Opus ſuum nuncupavit, ut, quoniam jure non agebat,

Ta-

Patrocinio ſapientiſſimi Pontificis id conſequeretur, quod merito, ac legitime nunquam fortaſſis ſe aſſecuturum ſperabat. Quanquam autem ea ſit Summus Pontifex ſingulari Doctrina, ac Pietate undique Illuſtris, ut quin novo Falconii conatui patrocinetur, in avitam potius Dignitatem S. Nicolaum Myrenſem Archiepiſcopum ſine dubio ſit reſtituturus: interim tamen licet Tuum ſit, vim, atque injuriam, quibus Praeſul Sanctitate commendatiſſimus afficitur, prohibere, ac propulſare; ut id nihilominus pro S. Nicolao perficias, multa quoque, eaque Regis Religioſiſſimi Magnanimitate digna, multa, inquam, ſunt, quae rem ſapientiſſime ſuadent. Primum enim ex quo Carolus II. Andegavenſis Munificentia plane Regia, redditibus, muneribus, ornamentis, atq; immunitatibus Barienſem S. Nicolai Baſilicam ſplendide auxit, ac magnificentius cumulavit, adeo ut jure

me-

meritiſſimo inter Regni Neapolitani Eccleſias nobiliſſima, Regioque decorata Titulo celeberrima ubique cenſeatur; Sibique, ac Succeſſoribus primae Dignitatis honorem, atque jus tanquam e Canonicis Unus in Choro pro lubitu ſedendi reſervavit, quod REX FERDINANDUS I. de Aragonia primum, deinde Tu ipſe anno MDCCXLI. Canonici Perſona pauliſper ſuſcepta, clementiſſime perfeciſti: nihil quiſpiam in S. NICOLAUM ejuſque Eccleſiam poterit moliri, quod Te, Tuaque non tangat, quodque avertere, ac propulſare REGIO TUO NUMINE provide, religioſeque non velis. Deinde illud accedit, Te una cum Conjuge Tua MARIA AMALIA REGINA SERENISSIMA, ut S. NICOLAUM praeſens adorares, ac venerareris ad ejus Baſilicam profectum eſſe, ac Donaria deinde munificentiſſima ex auro, gemmiſque diſtincta celeberrimo Thaumaturgo miſiſse, eaque tam affabre elaborata, ut di-

gna

gna ſint , quae ejuſdem Sancti cultoribus, quicumque ex toto, ut ita dicam, terrarum Orbe viſitandi, adorandique cauſa ejus Tumulum accurrunt, tanquam egregia Tuae Pietatis, ac Religionis inſignia oſtendantur; ejuſdemque Baſilicae Praeſulem, & Canonicos novis honoribus a Sapientiſſimo Summo Pontifice Benedicto XIV. Tua cauſa conceſſis decoraſſe; nihilque feciſſe reliqui, ut non ſolum ſub Tua Regia Tutela, ac Nomine eam eſſe oſtenderes, ſed Te eam ita benevolis, amiciſque oculis intueri aperte demonſtrares, ut nihil poſſet ſupra. Jam tum videras, Rex Sereniſſime, ſummi laquearea Tecti auro, picturiſque ornata, quibus illuſtriora, ac mirabiliora S. Thaumaturgi Geſta depicta exprimuntur. At ſi Falconium audias, *inſanientis cerebri deliramenta* haec ſunt, non Veritatis egregia monumenta. Venerabundus quoque ad ejuſdem S. Thaumaturgi Aram per Canonicum Cu-

ſto-

ſtodem munda, oblongaque ſpongia ad catellam auream appenſa illum ſacrum liquorem, quem S. Nicolai Oſſa, ibi a Sanctiſs. Summo Pontifice Urbano II. collocata perpetuo manant, hauriri ex ejus tumulo, ac duas phialas juſsiſti cryſtallinas illo impleri. At licet Scriptores ſanctitate, dignitate, doctrinaque celebres de praeclaro hoc, admirandoque miraculo teſtes ſint locupletiſſimi, muſſitare tamen Falconium audio, Te non liquorem ſacris illis Oſſibus manantem, ſed neſcio, *quam ſanctam Aquam ibi guttatim fluentem* Tibi oblatam in Tuae Pietatis ſignum a celeberrimi Thaumaturgi Baſilica Tecum inde tuliſſe. Vides, Rex Invictissime, eo redactam rem eſſe, ut Tua Barienſis Baſilica ſingulis pene ſaeculis tot, tantiſque ſemper tempeſtatibus exagitata, ut jura partim Summorum Pontificum religioſa erga S. Thaumaturgum veneratione, partim Majorum Tuorum Munificentia eidem

con-

conceſſa, tueretur; quae tamen ſemper ſarta, tectaque per utriuſque Siciliae Reges, perque Te potiſſimum, Rex Clementissime, ſervavit: nunc in id diſcriminis adductam indoleſcat, ut niſi Te Vindice, Patronoque ſit recreata, timor ſubeſt, ne eo ſplendore, dignitate, amplitudine excidat, quo per Tuorum Majorum, Tuamque Magnificentiam hactenus feliciter gaviſa eſt. Quoniam igitur, Regum Optime, ea eſt Neapolitani Regni felicitas, ut Te ad Litteras juvandas, Arteſque propagandas, Populoſque mitiſſimo imperio regendos, ad res denique omnes Juſtitia, Clementia, Providentia, Religione, Pietate, ceteriſque Regii animi Virtutibus praeclare, ſapienterque moderandas, Te, inquam, Natum cuncti admirentur, ac vehementer gratulentur, quod ſibi, Te Rege, his temporibus vitam vivere ſit datum: ut S.Nicolai Baſilicam Regio inſignem Titulo, Tuoque Patrocinio nobilem,

tueri, ac defenſitare precibus omnibus imploro, obteſtorque uſque pergas; atque id munuſculum, exiguum quidem ob Auctoris ingenium, magnum vero ob S. Nicolai Myrenſis cauſam, quae in illo dicitur, quod Tuo Auguſto Nomini nuncupatum Tuis Pedibus obſequentiſſime deferre audeo, intueri, patrocinarique benigniſſime non dedigneris. Soſpitet te, Rex Invictissime, magis magiſq; Deus Optimus Maximus, omnique bonorum genere locupletet, ac populorum felicitati diutiſsime ſervet Incolumem.

Nomini, Majestatique Tuae

Dicatiſſimus
Nicolaus Putignanus.

Digitized by Google

PRAEFATIO

I.

QUANQUAM *inſolens non ſit, quod quemadmodum Terra ſponte, naturaque ſua fructus licet non omnes ad palatum ſuaves progignit, ita ingenii quiſque fetus nativa quadam vi edere plerumque geſtiat: mirari tamen non nemo jure poterit, quare ego adverſus Acta Primigenia forſan ſuppoſita* S. NICOLAI *Archiepiſcopi Myrenſis, ac celeberrimi Thaumaturgi a Cl. Viro, atque Illuſtriſſimo Metropolita D. Nicolao Carminio Falconio edita, inſurrexerim, ejuſdemque* Syſtema *funditus evertere ſim conatus. Enim vero, quum ante Cl. Falconium ſummi in Eccleſiaſtica hiſtoria Viri Tillemontius, Bailletus, aliique non pauca adverſus vulgarem* S. NICOLAI *Vitam, non pauca, inquam, ſcripſerint, adeo ut nihil novi addiderit Falconius, ſi Acta a ſe inventa excipias: admiratione certe dignum videtur, me in illos nihil aggreſſum adverſus Cl. Falconium dumtaxat arma voluiſſe ſumere, quaſi is ſolus antiquam de* S. NICOLAO *Myrenſi a Chriſtifidelium animis opinionem evellere ſtuduerit. Ad haec illud etiam animadverſione dignum videtur, me hominem Orbi Litterario (Civibus, atque exteris aliquot exceptis) penitus ignotum cum Cl. Viro, eoque bene de Eccleſiaſtica hiſtoria merito manus conſerere non dubitaſſe, remque in id diſcriminis adducere voluiſſe, ut, quoniam cum eo nulla ſum ratione comparandus,*

Digitized by Google

illam dicere cauſam voluerim, cujus patrocinium mihi committendum omnino non erat.

I I.

Sed ut haec ſimilia vero appareant, duo tamen ſunt, quae omnem ab eorum animis, qui legere haec voluerint, admirationem tollere mihi videntur. I. Quod Illuſtriſſimus Falconius non inquirendo, & dubitando ſuas de Actis jam vulgatis S. Nicolai Myrenſis lucubrationes ediderit, ut ceteri viri apprime in Critice verſati perfecerunt; ſed rem definire voluerit, ac toti Chriſtiano Orbi illud propinandum proferre, S. Nicolaum hactenus ab Eccleſia tanquam Myrenſem Metropolitam Fidelium venerationi propoſitum, Epiſcopum Pinarenſem tantum fuiſſe, Juſtinianique Imperatoris floruiſſe aetate, adeo ut, quae huc uſque de S. Nicolao, pii, doctique Viri aeque, ac vulgus ipſum crediderunt, tanquam Poëtarum deliramenta, anileſque fabulas habendas eſſe contendat. II. Licet haec, quae Orbi Litterario Cl. Falconius proponere primus non dubitavit, facile admittere velimus, illud certe non ferendum, quod idem Cl. Vir, etſi non plane, & aperte, ſarcaſmis tamen, dicteriiſque, ſi non negat, quod manifeſte non audet, perſuaſum minimum non habet, S. Nicolai Oſſa ſacro manare liquore, adnotare contentus, in illo hypogaeo ad litus maris ; ubi Eccleſiam Nautae erexerunt (a) fontem eſſe, & perennem ſanctae Aquae fluvium. Quamobrem quum haec, quae Illuſtriſſimus Falconius edere ſummo ſtudio curavit, graviora ſint, quam ut ſilentio praeteriri umquam poſſint, nemo eſt qui facile non videat, mirari

rari

(a) In Act. pag. 137. Not. (a)

Digitized by Google

vari nullum debere, ſi ad Syſtema *Falconianum aequa rationis lance expendendum pro viribus ſim aggreſſus.*

III.

Scio equidem me huic eſſe operi imparem, atque ut id in animum inducere velim, [quod certe a vero longe ſatis abeſt] me eo praeditum eſſe ingenio, ut id perficere valeam: illud ſane maximopere obſtat, quod quum valetudine utar non ſatis bona, quotidianoque Baſilicae S. NICOLAI *ſervitio ſim addictus, atque juventuti in ſeverioribus diſciplinis inſtituendae pene totus ſim datus, ac tandem non ea librorum copia, quae huic rei ſatis eſſe poſſit, in hac Civitate frui liceat: non ita facile ſit futurum, ut Falconianum* Syſtema *evertatur, proque rei dignitate S.* NICOLAI *Vitam hactenus vulgatam ſartam, tectamque poſſim tueri. Sed ut vera haec eſſe fatear; nibilominus* eſt quadam prodire tenus, ſi non datur ultra; *praeſertim quod auctoritas, quae plurimum apud me valet, Illuſtriſſimi, ac Reverendiſſimi* PETRI MARIAE CARAFAE *praedictae Eccleſiae Praeſulis, Viri ingenio, eruditioneque praeſtantiſſimi, pietate erga* S. NICOLAUM *inſignis, optimeque de eadem Eccleſia meriti; tanti, inquam, Viri auctoritas animos mihi addiderit, ac ſumma qua ſolet comitate potiora ad rem perficiendam monumenta ejus ſtudio, diligentiaque conquiſita Neapoli huc ad me miſerit, imagineſque Sanctiſſimae Crucis, ac celeberrimi Thaumaturgi Nicolai aere inciſas apponi ſuis locis curaverit, adeo ut quicquid venuſtatis, atque ornamenti haec mea ſit elucubratio habitura, totum ejus eſſe fateri non detrectem. Quin imo laudatiſſimus idem Praeſul ſapientiſſimis ſuis cohortationibus effecit, ut rem fortiter aggrederer, &*

fungerer vice cotis ; ac Baſilica S. NICOLAI *Barienſis prima inter omnes arma pro vulgatis, atque antiquis Sanctiſſimi Thaumaturgi Actis ad propugnandum acriter moviſſe, hancque, ut ita dicam, Veritatis arcem,* NICOLAUM *nimirum quarto Saeculo floruiſſe, Myrorumque fuiſſe Epiſcopum, Sacraque ejus Oſſa liquore miro manare, hanc, inquam Veritatis arcem, prima pro viribus adverſus novos, inauditoſque impetus tueri ac defendere, atque hoc pacto quaſi canere bellum videretur; prudentiſſime ratus, fore ut, cum Sancti Thaumaturgi inſignis ſit toto terrarum Orbe celebritas, ac maxima in piiſſimos ejusdem cultores merita, qui plurimum doctrina, eruditioneque valent, eam ſibi provinciam datam arbitrentur, ſuſceptamque diligenter, ſtrenueque pro more aggrediantur* (a) ; *ipſique etiam, qui inter Heterodoxos ſincerioris ſunt fidei, ingenuaeque, non fucatae eruditionis, quique falſa abjicere, veritatemque ſummo labore eruere ſatagunt, fortiter pro antiquis, vulgatiſque S.* NICOLAI *Actis tanquam auxiliarii Milites dimicare certe minime revereantur. Hae, inquam, cobortationes, atque illa in primis, ne ejusdem Baſilicae in re tam gravi ſilentium hominibus minus cautis anſam cogitandi praebeat, vera omnino*

(a) Id ſine dubio praeſtare poterit D. Nicolaus Pizzoli Sacrae Theologiae, atque J. U. D. & Canonicus, idemque moribus & doctrina ejusdem Regalis Eccleſiae ornamentum, in ſua, quam parare audio, de eodem Sanctiſſimo Thaumaturgo Diſſertatione. Quod certe vir pereruditus pro ſuo erga S. NICOLAUM religioſo cultu, eruditioneque praeclare perſequetur. Anno enim 1742. Opus de Myſtica Theologia Vernacula lingua erudite elaboratum edidit, eidemque S. NICOLAO dicavit. Anno quoque 1745. Theologicas edidit Diſſertationes de Angelis Summo Pontifici Benedicto XIV. nuncupatas. Majus etiam Opus de Myſtica Theologia eruditione, quodque in abſtruſiori utique re caput eſt, ſumma perſpicuitate refertum adornavit, quod brevi fore, ut typis mandetur, ſperamus.

no eſſe omnia, quae a Cl. Falconio tanquam certa, atque indubitata ſunt propoſita, me tandem impulerunt, ut diſputationem hanc ſerius, quam putaveram [nam multa, eaque non levioris momenti interceſſerunt, quo minus id perficerem] elucubrare ſim coactus, ut qui minus vident, illud tamen pervideant, nihil cum ſuis Actis Primigeniis S. NICOLAI *Falconium confeciſſe, remque eo in ſtatu relinquendam, in quo per tot ſaecula hactenus Viri in Eccleſiaſtica Hiſtoria verſati reliquerunt.*

I V.

Diſputationem autem duas in Diatribas dividendam cenſemus. In quarum altera demonſtrare conabimur, ejuſmodi non eſſe, quae Illuſtriſſimus Falconius edidit, ut S. NICOLAUS *e tam antiqua ſit poſſeſſione exturbandus. In altera, Sacrum illum Liquorem, quem ab Oſſibus S.* NICOLAI *manare tam Barienſes, quam ceteri Chriſti Fideles,* Criticis aliquot exceptis, *credunt, commentum non eſſe, neque famam, conſtantem tamen, veridicamque, de hujuſmodi re adeo recentem, ut ſubdubitare de fraude, ne de arte quidem quis Critices peritiſſimus jure, ac merito poſſit. Quae duo ſi demonſtrare, Deo juvante, mihi conceſſum fuerit, tum profecto liquido apparebit* (a), *quae celebris Scriptor, nomine Nicolaus, Dignitate* Me-

(a) Dixerat Cl. Falconius in Proleg. cap. 2. num. 1. pag. 2. „ Modo „ ergo ad majorem Dei gloriam, „ & in veram laudem Thaumaturgi (cujus nomen indigne gero: „ quod majori ſtimulo mihi fuit, „ ut diligentius rem proſequerer; „ & geſta ejus ad libellam Criticen „ illuſtrarem), & ni ſpes fallit, „ per acta omnia. In quo valde gaudio, quod Nicolaus, & ſui Ordinis, pro Nicolao tam deſudavi: „ & ſummas Deo rependo gratias, „ qui me tanto honore dignatus eſt; „ ut ejuſmodi beneficium ſuae Eccleſiae intrepidus impertirer. „ Egregium facinus memorandumque!

Digitized by Google

Metropolita, S. Nicolao *Myrenſi itidem* Metropolitae *auferre totis viribus, novoque auſu conatus eſt; Nicolaum alterum, dignitate ſatis longe inferiorem, imo nulla doctrina, atque eruditione infimum, ſed Baſilicae* S. Nicolai *Barienſis Canonicum, ſummo ſtudio eidem Myrenſi Thaumaturgo meliore jure aſſeruiſſe.*

V.

Caeterum ingenue fateor, me in h. m. re pertractanda ea ſaepiſſime repetere, quae Viris eruditione praeclaris agnita jam ſunt. Sed doctis haec non ſcribo, neque ego is ſum, qui ea proferre poſſim, quae iisdem aut nova prorſus contingant, aut ita undique adornata, ac perpolita, ut digna ſint, quae ab emunctae naris Viris lubenti animo legantur. Id unice mihi propoſitum, ut qui Cl. Falconii auctoritate, atque eruditione permoveri aliquatenus poſſunt, neque ſatis ingenii habent, ut omnia recte probeque, ut par eſt, perpendere valeant, in his, quas ſecundum Acta Antiqua, & Vulgata poſtulamus, Vindiciis *reperiant, quo ſe abripi, atque in Cl. Falconii ſententiam ire ſine ullo examine in re tam gravi ulla ratione non ſinant. Iis enim, qui in Eccleſiaſtica Hiſtoria bene verſati ſunt, ne quid, quod certis indubitatiſque argumentis non innitatur, ſtatim tanquam verum atque indubium admittant, ſane timendum non eſt; quum perſpecte cognoſcant, quo in pretio Falconiana inventa ſint habenda, quidve de Antiquis, Vulgatiſque* S. Nicolai *Actis ad aequum rationis libramentum ſtatuendum ſit. De reliquo* nec dubitamus, *ut cum Plinio loquar*, quin multa ſint, quae & nos praeterierint; homines enim ſumus, & occupati officiis,

ſuc-

ſucciſiviſque temporibus iſta curamus. (a) *Adeo ut mihi potiſſimum neceſſe ſit cum D. Bernardo firmiſſime, religioſeque profiteri:* Quae dixi abſque praejudicio dicta ſint ſanius ſapientis. Romanae praeſertim Eccleſiae auctoritati, aut examini totum hoc, ſicut, & cetera, quae hujuſmodi ſunt, univerſa reſervo: Ipſius, ſi quid aliter ſapio, paratus judicio emendare. [b]

Illu-

(a) C. Plin. ſecundus Praefat. Hiſt. Nat.

(b) S. Bernard. Epiſt. ad Canon. Lugdunenſ.

Digitized by Google

Illluſtriſs. Dominus Canonicus Theologus D. Januarius Perrelli S. Th. Magiſter, & Curiae Archiepiſcopalis Examinator Synodalis revideat, & referat. Datum Neapoli Idibus Septembris 1753.

C. Episcopus Cajacensis Vic. Gen.

Julius Nicolaus Epiſcopus Arcad.
Canonicus Deputatus.

EMINENTISSIME PRINCEPS

OPus ſingulari eruditione expolitum, quod ſincera B.Nicolai Archiepiſcopi Myrenſis Acta tuetur, non modo ad Fidei Canones eſt elucubratum, ſed caſtigatiſſimam Criticen Eccleſiaſtico aeque, ac erudito Viro dignam redolet. Auctor ſiquidem clariſſimus in genuinis S.Archiepiſcopi Actis aſſerendis iis opus ſuum argumentis inſtruxit, ut & arbitrariam judicandi libertatem, & praejudicatas rejecerit opiniones. Has igitur VINDICIAS evulgari poſſe cenſeo, ſi hoc de iis judicium auctoritas tua firmaverit. Datum Neapoli XIII. Kal. Novembris CIↃIↃↃLIII.

EM. TUAE

Obſequentiſſimus
Januarius Can. Perrellius.

Attenta relatione Domini Canonici Reviſoris imprimatur. Datum Neapoli Prid. Kal. Novembris 1753.

C. Episcopus Cajacensis Vic. Gen.

Julius Nicolaus Epiſcopus Arcad. Canonicus Deputatus.

Ad-

Admodum Rev. P. Abbas S. Coloma Regit. Profeſſor Univerſitatis Studiorum revideat, & in ſcriptis referat. Neapoli die 29. Auguſti 1753.

NICOLAUS DE ROSA EPISCOPUS PUTEOL. CAPPEL. MAJOR.

S. R. M.

SUmma animi voluptate haſce S. Nicolai Myrenſium Archiepiſcopi VINDICIAS eleganti dicendi vi conſcriptas, collectis ex melioris notae Scriptoribus documentis elaboratas, atque argumentis potioribus firmas evolvi: & non ſolum Auctorem ſacrae Antiquitatis callentiſſimum ſuſpexi, verum etiam dicentis modeſtiam, qui cum adverſario nonniſi honeſta officiorum ratione agit, atque contendit. Cum autem Eccleſiae Regii Juris, tot, tantiſque Regum ornamentis illuſtris, S. Nicolai nomine, ac cineribus auguſtae, ejuſque ſacro Liquore toto Orbe celebratiſſimae partes tuetur: quo citius hae VINDICIAE in lucem prodeant, indulgendum eſt.

Ex Aedibus Olivetanis Prid. Idus Octobris MDCCLIII.

M. T.

Humillimus, atq. Obſequentiſs.
Leander Sancta Coloma Abbas Olivetanus,
& Theol. Moralis Reg. Profeſſor.

Die

Digitized by Google

Die 20. menſis Octobris 1753. Neapoli.

Viſo Reſcripto Suae Regalis Majeſtatis ſub die 18. currentis menſis, & anni, ac Relatione Rev. Abbatis Leandri Sancta Coloma de commiſſione Rev. Cappellani Majoris ordine praefatae Regalis Majeſtatis.

Regalis Camera S. Clarae providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inſerta forma praeſentis ſupplicis libelli, ac approbationis dicti Rev. Reviſoris; verum in publicatione ſervetur Regia Pragmatica, hoc ſuum.

CASTAGNOLA. FRAGGIANNI. PORCINARI.

Ill. Marchio Danza Praeſ. S.R.C. temp. ſubſcrip. imp.
& Reg. Conſil. Caput Aulae Gaeta non interfuit.

Athanaſius.

Reg. fol.56.
Carulli.

S. NI-

Digitized by Google

S. NICOLAI
ARCHIEPISCOPI MYRENSIS
VITÆ, ET GESTORUM
SECUNDUM ACTA ANTIQUA, ET VULGATA,
VINDICIÆ.
DIATRIBA I.

CAPUT I.

Oſtenditur quid hactenus Critici de S. NICOLAO MYRENSI *animadverterint. Exponitur Illuſtriſſimi Falconii de* S. NICOLAO *Syſtema*.

I. INTER omnes, qui impenſo in ſacras litteras ſtudio enixius incumbunt, nemo, ut ſincere loquar, melius eſt de Republica litteraria meritus, quam qui improbo labore Sanctorum Vitas ad lancem veritatis expendit, ac fabulas a veris hiſtoriis, ſuppoſititia a genuinis ſecernere, pios demum ſuperſtitioſorum hominum, ut ita dicam, dolos non ſine

Digitized by Google

magna laude pro veritatis honore detegere ſatagit. Inter hos non ultimum tenet locum Illuſtriſſimus D.Nicolaus Carminius Falconius Eccleſiae S.Severinae in Brutiis ulterioribus Metropolita, orbi literario ſatis notus, atque conſpicuus, cujus labores in antiquis Codicibus evolvendis, atque Sanctorum Actis genuinis eruendis non exiguam laudem ei jure, ac merito pepererunt (*a*). Utrum vero idquoque ſit conſecutus in Actis, ut ait, *primigeniis* celeberrimi S. NICOLAI Thaumaturgi nuper a ſe detectis, atque erutis, ac poſt triginta annorum laborem publicis Neapoli typis anno 1751. excuſis, clariſſimi, itidemque eruditiſſimi in hiſtoria Eccleſiaſtica Viri, quippe qui judices ſuper hac re competentes ſincere, ut par eſt, judicabunt. Quod ad me attinet, heic examinandum cenſeo: fructusne labori tam longo reſponderit, an vero viribus, ut ita dicam, exhauſtis tantum abeſt, ut vitam celeberrimi Thaumaturgi illuſtraverit, ut maxime illam obſcurarit, noviſque tenebris obvolverit Acta, quae *primigenia* eſſe contendit, in medium afferendo.

II. Profecto, ſuis in praeſenti ſepoſitis Actis, nihil ad labefactanda Antiqua vulgata de S. NICOLAO ipſe Clariſs. Falconius adducit, quod primum a Tillemontio, Bailleto, Morerio, ceteriſque clariſſimis, itidemque in Critice verſatis Viris non fuerit animadverſum. Ponit Cl. Falconius S. NICOLAUM tempore Conſtantini non floruiſſe, neque Concilio Nicaeno I. interfuiſſe. Deridet quaecumque per ea tempora ab eodem Thaumaturgo patrata dicuntur miracula. Innititur ſatis vulgato argumento de ſilentio veterum, & συγχρόνων (*ejuſdem aetatis*) Scriptorum. Verbo: undique exagitat Acta vulgata; ad fabulas, piaſque fraudes amandat; idque ea ratione exequitur, ut ſi nihili faceret theſaurum a ſe inventum, acta nimirum *primigenia*, parum abeſſet, quin cum Ludovico Morerio (*b*) de ejuſdem Thaumaturgi ὑπάρξει (*exiſtentia*) dubi-

(a) Scio, inſimulari Falconium, Theſauros h. m. ad quos effodiendos proclivis eſt, quoſque ſe feliciter inveniſſe non ſemel gloriatur, neque veros, neque genuinos eſſe. Id tamen aliis expendendum relinquo.

(b) Tribuo heic illud Morerio, quia Morerii eſſe arbitratur Falconius. Ceterum quid revera dicendum ſit, inferius n.LXXV. exponemus.

dubitaret, ac Barienſes neſcio cujus Sancti oſſa apud ſe aſſervare, ac venerari facillime diceret. Hæc Falconius.

III. Jam vero ſi quae clariſſimi Viri Tillemontius, Bailletus, Morerius, ceterique Critici de S. Nicolao adnotarunt, quaeque typis cum Actis *primigeniis* ſimul excudi ipſe curavit, conferas cum iis, quae ipſe Falconius cenſoria virga paſſim notare non deſiſtit, quiſque ſine dubio comperiet, nihil a Cl. Falconio hac ſuper re fuiſſe animadverſum, quod a laudatis viris prius non fuerit excogitatum. Duo tamen ſunt, quae peculiaria Falconii dicas, quaeque (ſi Morerium ſeu *ejus Additamenta* excipias ob nimiam in loquendo libertatem) illis tribui nullo pacto poſſunt. Alterum, quod Tillemontius, & Bailletus pleraque in vulgatis Actis reperiri adnotarunt, quae non ſatis firma, atque certa veritatis amatoribus videri poſſunt; ſed Criticorum more, tamquam canes e Nilo vix bibentes aufugiunt, ſuas animadverſiones proponunt, libertate quidem ad criticen exacta, ſed dubitando potius, quam aliquid definiendo; Falconius vero rem uſque ad vivum reſecat, & quod illi dubitando, hic definiendo prorſus, rem confectam eſſe aperto ore pronuntiat. Alterum, quod laudati clariſſimi Critici, quum Theſauri a Falconio divinitus, ut ipſe ait, inventi, nullam cognitionem haberent, rem perpendunt, atque ad ſeverioris Criticae regulas omnia examinant; attamen antiquae de S. Nicolao traditioni non in omnibus derogant; hic vero, quum tam felix, fortunatuſque fuerit, ut Acta *primigenia* ejuſdem celeberrimi Thaumaturgi invenerit, omnia ſe confeciſſe autumat; integram traditionem evertit; aliumque Nicolaum nobis colendum exhibere non dubitat.

IV. Sane Tillemontius (*a*) queritur, nihil certi de hujus Sancti vita hactenus ad nos deveniſſe, ipſumque Metaphraſtem male audire, quod monumenta, quibus uſus eſt, ad ejus vitam conſcribendam, diſcernere non curaverit, ejuſque narrationem non antiquiorum Scriptorum teſtimoniis inniti, ſed tantum populi traditionibus, argumentis nimirum ſubleſtae fidei,

(a) Apud Falcon. in Proleg. pag. 61. n. 4.

fidei, imo nullae (*a*). Fatetur deinde, nihil eſſe tam facile, ut credatur, quam S. NICOLAUM, utpote qui Myrorum in Lycia Metropolita, anno 325. Nicaeno Concilio I. interfuiſſe. Verum quum inter praecipuos Epiſcopos hujus Concilii, praeſertim eos, qui *Confeſſoris* titulo, perſecutione urgente, uti de S. NICOLAO aſſeritur, decorabantur, hiſtoricorum nullus celeberrimi Thaumaturgi viri tum dignitate, & vitae ſanctitate illuſtris, atque conſpicui, nullus, inquam, eorum meminerit: quiſque facile conjicere poteſt, qualem fidem mereantur Scriptores, qui id memoriæ mandarunt. Demum, quod caput eſt, S. Athanaſius, qui Epiſcopos pietate celebres, qui ab anno 320. ad 355. uſque floruerant, ſatis diſtincte recenſet, de NICOLAO ne verbum quidem profert; ut adeo Vir Clariſſimus fateri cogatur, S.NICOLAUM minus claro, & illuſtri Conſtantini, & Conſtantis tempore, ſive ante, ſive poſt, ſemper tamen ante Juſtinianum vixiſſe. Id ipſum in ſuis notis Tillemontius (*b*), paulo tamen diſtinctius animadvertit; primo enim Metaphraſtem ſugillat, quod ſcripſerit, S. NICOLAUM in carcerem conjectum initio Diocletianeae perſecutionis, reverſumque imperante Conſtantino (*c*). Deinde, quod referat peregrinationem ejuſdem Thaumaturgi in Palaeſtinam, viſendae, atque adorandae Crucis gratia, viſitandique Eccleſiam, & Sepulcrum, quum tamen uſque ad annum 326. aut 327. nihil inibi, quam Idolorum Templum adeſſet. Tandem, quod loquens de defectione Taiphalorum (ita populus in Sarmatia ſuper Danubium vocabatur) ad eam ſedandam qui fuerant miſſi ad eos populos, per Myram tranſirent, quo nihil magis abſonum.

V. Quod ad Hadrianum Bailletum, qui ferme numquam diſſidet a Tillemontio (*d*), is & in Tabula Critica,

& ad

(a) Ibid. n.5.

(b) Ibid. pag. 62.

(c) Id tamen Metapraſtes ita, ut Tillemontius ſcribit, non narrat. Vide eumdem apud Falcon. in actis pag. 96. num. 17. & recte Baronius heic apud Tillemontium de Liciniana perſecutione intelligit. Confer quod inferius dicemus n. LXXVII.

(d) Vid. P. Honor. a S. Maria Animad. Crit. tom. 1. pag. 77, col.1.

& ad *6.* Decembris diem *(a)* ſimilia animadvertit, eaſdemque, quas propoſuerat Tillemontius, difficultates ipſe quoque proponit, ac demum concludit, quod ipſe conjectaret, Nicolaum non floruiſſe, niſi quinto Saeculo, & quidem poſt Concilium Calchedonenſe, niſi aliunde rationes non ſuppeterent fortaſſe credendi, eum ante pacem Eccleſiae a Conſtantino datam obiiſſe tamquam Confeſſorem, uti S. Gregorius Thaumaturgus, ac plerique alii Orientis Epiſcopi, qui uſque ad tertii Saeculi finem vixerunt, atque in pace quieverunt.

VI. His animadverſis, nemini dubium eſſe poterit, quin nihil novi a Falconio ſit excogitatum, quod Critici ante ipſum cenſorio calamo non notaverint. Sed vir clariſſimus, quum Acta *primigenia* inveniſſet, atque S. Nicolaum anno 551. ex hac vita in Cœlum migraſſe ex ipſis Actis pro lubitu correctis eruiſſet; Juſtinianum e contrario Imperatorem in Nicolai honorem Templum apud Blachernas erexiſſe; ac Suidam in ſuo lexico, Suidam, inquam, Scriptorem, ipſo fatente, ſexto Saeculo non poſteriorem, Nicolaum ſub Conſtantino floruiſſe aperte referre animadverteret; quae duo Falconii ſyſtema funditus evertunt, nulliuſque pretii Acta a ſe inventa ſatis perſpicue reddunt: haec in medium proferre pro ſua cauſa tuenda excogitavit: Templum nimirum a Juſtiniano erectum in honorem fuiſſe Sanctorum Priſci, & Nicolai Martyrum e quadraginta celeberrimis Sebaſtenis ſub Licinio: & caput illud Suidae, quod de S. Nicolao loquitur, fuiſſe ejuſdem Auctoris lexico neſcio a quo tenebrione aſſutum. Atque tenes paucis Falconianum ſyſtema clare, ni fallor, expoſitum. Quomodo autem de eo ſit judicandum, in ſequentibus quiſque manifeſte comperiet.

(a) Apud Falcon. in Prol. pag. *64.* num. 3.

CAPUT II.

Expenduntur Acta vulgata S. Nicolai. *Clariſs. Falconius Acta S. Methodii, Leonis Imperatoris, & Metaphraſtis cum ſuis Actis excudi curavit. Quid in his Actis de* S. Nicolao *narretur, per ſumma capita exponitur.*

VII. Locus heic eſſet breviter enarrandi, qui, quotque de S. Nicolao ſcripſerint, aut vitam breviter exarando, aut miracula enarrando, ſive Graeci, ſive Latini Scriptores, atque judicium de ipſis pro veritatis honore ſincere proferendi. Sed quoniam inopia codicum, & librorum id non ſinit, nec tempus huic labori ſuſtinendo par eſſe poteſt; ultra fines ab Illuſtriſſimo Falconio praeſcriptos lubenti animo non egrediar, deque Actis jam vulgatis, atque una cum *primigeniis* ab ipſo Falconio excuſis verba faciam. Sed illud iterum monendum eſt, mihi animum non eſſe, ut omnia, quae de S. Nicolao circumferuntur, ſincere ſcripta, atque a veritate aliena non eſſe, firmis rationibus oſtendam. Id enim doctioribus, & eruditioribus relinquo: tantummodo ſi non demonſtrare, ſaltem perſuadere conabor, *fundum* ipſum, ut cum Cl. Falconio loquar, hiſtoriae S. Nicolai jam vulgatae a vero non abhorrere; illuſtriores quoque ac praecipuas ejuſdem Vitae περιστάσεις (*circumſtantias*), ſive adjuncta perpendere, non pigebit. Omnia enim velle ad examen revocare, neque mei inſtituti, neque meis viribus aequam materiam eſſe ingenue fatendum eſt.

VIII. Atque, ut eo ordine procedamus, quo Acta ipſa Cl. Falcon. excudi curavit, primus, qui Vitam S. Nicolai ſcripſerit, occurrit S. Methodius Conſtantinopolitanus Patriarcha, qui Saeculo IX. eam concinnavit. Utrum vero is idem ſit, ac Michael Archimandrita, ut putat Falconius, alii viderint; heic ſatis eſt animadvertere, Falconium ipſum non dubi-

Digitized by Google

dubitare, quin S. Methodius de S. Nicolao ſcripſerit; ex eo enim quiſque facile perſpicere poterit, quod cum Tillemontius (*a*) candide fateatur, vitam a S. Methodio deſcriptam, dum Methodii ſit, dignam eſſe, quam revereamur, ſi non ob tempus, quo fuit concinnata, ſaltem ob Auctoris conditionem; ipſe vero Cl. Falconius dubius hac de re non ſit: non parvae auctoritatis hujus vitae hiſtoriam, ſeu melius *panegyrin* a cordatis viris habendam eſſe dicerem. Quo poſito, videamus, quid de Patria, Natali, Genere, Opibus, Vitae inſtituto, ac praecipuis S. Nicolai geſtis S. Methodius referat.

IX. Primum fatetur S. Methodius (*b*): *Hactenus enim hujus Sancti Paſtoris Vita vel multis ignota fuit: ut ipſe ſcis: quibusdam tantum ex ſolis rebus ei adſcriptis, ejus gratiam cognoſcentibus*. Quo in loco obſervandum, S. Methodium non referre, vitam S. Nicolai *a nullo* fuiſſe deſcriptam, ſed *multis* ignotam eſſe; ſecus enim non *multis* ignotam, ſed *omnibus* dixiſſet, & ſolum quibusdam ejus *gratiam* ex geſtis ei inſcriptis cognoſcentibus. Deinde Pataram ejus patriam fuiſſe memorat; Parentes nobiliſſimos, ac divites S. Nicolao tribuit. *Tum atque ſimul*, inquit, *ac ipſum peperit*, *mirabile quid accidit in Matre*, *quae ipſum genuit*, *ſterilitatem namque ex eo tempore beatiſſima illa eſt paſſa, cet.* (*c*). Pergit porro S. Methodius: *Poſtquam autem ex Matris utero*, *Deo ſanctificatus*, *genitus eſt* Nicolaus . . . . *tunc Deus ſpecimen admirabile*, *prout adſolet in praecognitis a ſe ſervis*, *patefecit* . . . . *dum enim maternis uberibus lactaretur*, *pro ut pueris eſt in more; reliquis quidem diebus hebdomadis lac ſugebat: quarta tamen, ac ſexta feria ſemel in die*, *ſtata ſumebat hora*. (*d*) Diſcimus

(a) Apud Falc. in Proleg. pag. 63. not. 1. num. 6.

(b) Ibid. in actis pag. 40. in fin. num. 1.

(c) Ib. num. 2.

(d) Huc facit quod Joannes Poterus ad not. ad ea verba Clementis Alexandrini (de quo vide Benedictum XIV. in litt. Apoſtol. ad Joan. V. Portugall. Reg. nov. edit. Martyrol. praefix. a num. XIX. ad XXXVI.) Stromatum lib. VII. tom. 2. pag. 877. num. 10. & 15. edit. Oxon. ann. 1715. *Novit ipſe (qui mundanas vincit cupiditates licet adhuc ſit in carne, ut ſuperius ſcribis) jejunii quoque aenigmata horum dierum, quarti, inquam, & ſexti. Dicitur autem ille quidem Mercurii;*

mus etiam ex S. Methodio, quanam mirabili ratione S. Nicolaus tribus formoſis, itidemque nobilibus puellis noctu ſuccurrerit (*a*). Tum eum Archiepiſcopum Myrenſem divinitus electum narrat eo modo, quo legimus in Breviario Romano (*b*), ac populum ſibi commiſſum docuiſſe ita, ut impiiſſimorum Ariomanitarum, h. e. Arianorum & Sabellionorum *profanas vocum novitates declinans, qui per illud tempus, univerſalem Eccleſiae obruebant navem, & inconſtantes in profundum perditionis deducebant* (*c*) *ſanam immaculatamque fidem. . . . ovibus, quae ipſi ſuberant, praedicabat, datus divina ſapiens* Nicolaus (*d*). Templum item Dianae omnibus altitudine, & varietate excellentius evertiſſe refert (*e*); tanquam

curii, hic Veneris. Hinc ille jejunat in vita & ab avaritia, & a libidine, ex quibus omnia oriuntur vitia cet. ad haec, inquam, verba Potterus, licet Heterodoxus n. 2. τῆς τετράδος, inquit, καὶ τῆς Παρασκευῆς. *De jejunio quartae & ſextae feriae antiquitus uſurpato vid. Conſtit. Apoſtol. cap. 19. lib. 5., & 24. lib. 7. Ita S.* Nicolaus *his diebus a lacte abſtinuiſſe memoriae proditum eſt.* Collect. *De duobus jejunii diebus meminit etiam Petrus Alexandrinus Epiſcopus & Martyr. cet.* Ut in edit. Pariſ. typis regiis ex recenſione Danielis Heinſii 1641. Fridericus Sylburgius Veteranus in adnot. ad hunc Clementis locum pag. 744. lit. B. *de duobus*, inquit, *jejunii diebus meminit etiam Petrus Alexandrinus Epiſcopus & Martyr in Syn. M. S.* Οὐκ ἐγκαλέσει τις ἡμῖν, inquit, παρατηρουμένοις τετράδα, καὶ παρασκευήν. ἐν αἷς καὶ νηστεύειν ἡμῖν κατὰ παράδοσιν εὐλόγως προστετάκται. τὴν μὲν τετράδα, διὰ τὸ γενόμενον συμβούλιον ὑπὸ τῶν Ἰουδαίων ἐπὶ τῇ προδοσίᾳ τοῦ Κυρίου. τὴν δὲ παρασκευὴν διὰ τὸ πεπονθέναι αὐτὸν ὑπὲρ ἡμῶν. *Meminit eorumdem dierum Epiphanius quoque 387. & Ignatius Epiſt. 5. pag.* 24. de quo videndus Em. Baronius ad ann. Chriſti 34. num. lxviii. Praedictis autem verbis Petri Alexandrini, quibus tradit, jejunium agi quarta feria, ob Judaeorum Conſilium de proditione Domini, & ſexta feria, quia *paſſus eſt* pro nobis, adſtipulari videtur S. Auguſtinus in Epiſt. ad Caſulanum Presbyterum hodie xxxvi. num. 30. *Cur*, inquit, *quarta & ſexta feria maxime jejunet Eccleſia, illa ratio reddi videtur, quod conſiderato Evangelio, ipſa quarta Sabbati, quam vulgo quartam feriam vocant, conſilium reperiuntur ad occidendum Dominum feciſſe Judaei.* Et infra: *Hoc die*, inquit, *intermiſſo, paſſus eſt Dominus, quod nullus ambigit, ſexta Sabbati, quapropter & ipſa ſexta recte jejunio deputatur*, cet. Lege integr. num. Apud Palladium vero in vita Apollonii Abbatis in Decret. Grat. diſt. 3. de conſecr. Can. *Jejunia ſane*: praedictis diebus ideo jejunia non ſunt ſolvenda, *quia quarta feria Judas de traditione Domini cogitavit, & ſexta feria crucifixus eſt Salvator.*

(a) Ib. pag. 42. a num. 7. ad 11.

(b) Pag. 46. a num. 14. ſeq.

(c) Pag. 47. num. 18.

(d) Pag. 48. num. 19.

(e) Pag. 48. num. 19.

quam Apoſtolum a Populis habitum. Tres viros ab Euſtathio Provinciae Praeſide capite damnatos liberaſſe (*a*). Tres celeberrimos Stratelatas, qui eum abſentem licet invocaverant, Imperatori Conſtantino, atque Urbis Praefecto tamquam in ſomnis apparentem, innocentes declaraſſe (*b*). Eum tandem electam reliquiſſe vitam; & ad aeternam requiem fuiſſe translatum; ac venerabile ejus corpus, quà in Eccleſia eſt tumulatum, illico manaſſe unguentum ſuavem odorem ſpirans (*c*). Haec ex vita a S. Methodio conſcripta adnotaſſe juvat; cetera apud Falconium videri poſſunt. Illud tamen non eſt omittendum, ea ratione haec a S. Methodio fuiſſe exarata, ut non tam Vitam, quam *Encomium*, aut *Panegyrim* adornaſſe videatur. Ex Falconio quoque habemus (*d*) Homiliam ejuſdem S. Methodii, qui totus eſt in recenſendis miraculis a S. Nicolao patratis, quorum vel oculatus teſtis eſt ipſe S. Methodius, ut idemmet fatetur, aliorum vero ex auditu. Ne vero hic actum agam, poterunt haec miracula apud Cl. Falconium legi. Si quid tamen inferius de his notandum occurrerit, lubenti animo id efficiemus. Nunc ad alia properandum.

X. Poſt Homiliam S. Methodii edidit Falconius (*e*) *Encomium* habitum in S. P. N. Nicolaum, atque addit: *Scriptum ab Imperatore Leone VI. dicto Sapiente (veſtigia S. Methodii preſſe ſecuto) poſt annum DCCCLXXXVI., ex quo imperavit, uſque ad annum MXI.*; in quo mendum cubat Typographi: nam Leo anno 886. cum Alexandro Fratre imperium inivit; imperavit autem circiter ann. 25., ut ex Cedreno, & Zonara *in Leone*, ac aetatis ſuae anno 42. obiit. Vide *Patarolum pag. m.* 81. Cui Alexander Frater ſucceſſit in Imperio anno 911. Vid. *cit. Patarolum pag.* 83. Ergo legendum: *uſque ad annum CMXI.* In hoc *Encomio* quae praecipue notari merentur, haec ſunt: Leonem Imperatorem ſcripſiſse (*f*)

B 1. &

(a) Pag 49. n.21.
(b) Pag 50. n.22.
(c) Pag 52. n.24.
(d) Pag. 56.
(e) Pag. 75.
(f) Pag. 76. n.2.

I. *Et recte verba diſpertiendo, arcam alteram, Chriſti Eccleſiam reddidiſti; quae ab inundante proluvie haereſeos Arianae, perinde ſervares, ac diverſae animalia ſpeciei* . . . . II. (*a*) *Tu vero veluti quaedam juſtitiae norma occurrens ubique in ſpiritu: injuriam inferre volentes, te ipſum per ſomnia etiam Imperatoribus dormientibus, clariſſime oſtentans, ſumma coërcès libertate* . . . . III. (*b*) *Univerſam enim Lyciae Provinciam agricolatione ſpirituali te excolente, infidelitatis quidem ab ea revulſiſti ſpinas* . . . . *Idolorum etenim aras, execrandiſque dicata Daemonibus ſimulacra tuorum verborum arte mirabili evertiſti* . . . & in fine: *atque hoc pacto contra armatam phalangem cum fidei gladio ultricem elevans dexteram, Arii ſectam contentioſam, una cum Sabellii Synagoga funditus profugaſti: uno illo, eodemque mucrone Zeli, quo exarſit Phinees confodiens, expiatione facta, omnes univerſorum Deo conciliaſti*. IV. (*c*) *Angelorum quippe pernices alas exſuperaſti, cum Imperatori caedem meditanti praeſens in ſomnis adſtitiſti, cet*. V. (*d*) *Opem in neceſſitatibus conſtitutis, quam celerrime afferre: ac eos, qui non deliquerant, ſed captos a ſanguinaria internecionis caede eruere, cet*. VI. (*e*) *Ac eum etiam tuis aequalem moribus, qui longo quidem temporis intervallo a te diſtat, ſed tui regiminis in eadem cathedra eſt ſucceſſor, & canitie tibi proximus; ſuos item filios nepotes tuos, animi fortitudine, ac veritatis verbo munitos, redde; & hunc ipſum paternis quam maxime complectere viſceribus*... VII. (*f*) *Tum quia parem illis, ex ſuae propoſito voluntatis, certamen egregie ſuſcepit; tum vero, utpote, qui jam olim, ſuis & ipſe ſudoribus, honores Martyrum promeruit: & aemulatione illorum, eodem modo ac illi, coronam ſibi contexuerit congruentem*. VIII. (*g*) *Sed eja jam omnes pariter, o ſacratiſſimi & religioſiſſimi auditores, qui ad Templum hoc conveniſtis, feſtum diem ſacrum, celeberrimumque feſtive agamus, cet*.

XI. Quod

(a) Ibid. vid. etiam n.7.
(b) Pag.78. n.4.
(c) Pag.78. n.5.
(d) Pag.79. n.6.
(e) Pag.80. n.6.
(f) Pag.81. n.7. in fin.
(g) Pag. cit. n.8.

XI. Quod vero ad Metaphraſtem, haec praeterea alia in vita ab eodem conſcripta adnotanda videntur. I. Cum S. Methodio (vide n. IX.) refert jejunium S. NICOLAI in quarta & ſexta feria, quibus diebus ſemel lac ſugebat. II. Eidem S. NICOLAO ab Archiepiſcopo itidem NICOLAO curam Monaſterii S. Sion fuiſſe demandatam. III. Tres Virgines formoſas mirabiliter ditaſſe (cit. n. IX.) IV. Scribit, *deinde noctu quoque venit ad ſignum divinum Crucis, & tunc quidem ei ſua ſponte Sacroſancti loci portae ſunt reſeratae*. (vide inferius n. LXXVI.) V. Tractat de electione S. NICOLAI in Archiepiſcopum Myrenſem eo modo, quo refert S. Methodius. VI. Refert S. NICOLAUM multa paſſum in Diocletianea, quam vocat, perſecutione, ſeu verius Liciniana; donec per Conſtantinum fuit liberatus, qui Templa gentilium dirui juſſit, & Chriſtianorum Eccleſias aedificari. Templum Dianae celeberrimum a fundamentis dejeciſſe; ac Synodo Nicaenae adverſus Arium celebratae interfuiſſe. VII. Tres duces a Conſtantino adverſus Taiphalos in Phrygiam majorem miſſos Myrae a morte liberaſſe; Conſtantino, atque Ablavio Praefecto in eorumdem defenſionem apparuiſſe. Ac tandem Sacrum ejus Corpus in Templum depoſitum ibi unguentum profluiſſe.

XII. Jam vero ex S. Methodio, Leone VI., Simeone Metaphraſte ſatis clare deducitur: S. NICOLAUM Archiepiſcopum fuiſſe Myrenſem; floruiſſe ſub tempore Conſtantini Magni; & vulgata ea, atque ſatis inſignia patraſſe miracula, ob quae Thaumaturgi nomen jure ac merito adeptum eſſe nemo eſt, qui non fateatur. Utrum vero omnia, quae de eodem S. Thaumaturgo circumferuntur miracula ab eo vere, atque eo modo, quo narrantur, patrata ſint, non eſt hujus loci; atque doctioribus, iiſque majore vi ingenii praeditis, examinanda lubenti animo relinquimus.

CAPUT III.

Auctoritas S. Methodii vindicatur. Expenditur quoque obiter vis argumenti negativi; ſive ex ſilentio veterum Scriptorum deſumta; ubi etiam de Leonis VI. Imperatoris auctoritate.

XIII. QUamquam quae priore capite diſſeruimus pro Actis jam vulgatis cordatis viris, iiſque eruditione praeclaris ſufficere videantur; ea tamen Cl. Falconio viro *κριτικωτάτῳ* non faciunt ſatis, ſed ad ſeverioris criticae lancem rem penitus perpendens, atque clariſſimos noſtri aevi Criticos aemulatus, pro ſuo ſyſtemate firmiter ſervando, Acta jam vulgata nihil obſtare, contendit. Et quidem quod ad S. Methodium, quoniam Clariſs. Falconius apud Tillemontium (*a*) legerat, Vitam a S. Methodio ſcriptam non parvi faciendam, ſed ſuſcipiendam; ſi non ob tempus, ob conditionem tamen Auctoris; Apud Bailletum vero (licet eam ejuſdem S. Methodii eſſe ſubdubitet) longo ſatis tempore a S. Nicolai aetate fuiſſe conſcriptam; ut adeo parum exacte ſine genuinis monumentis S. Methodius eam concinnare potuerit (vide n. VIII.): eorum veſtigia premens de eodem Sancto ita ſcribit: (*b*) *primuſque eam (poſt quingentos annos ſilentii loquaciſſimi) ex vulgatis rumuſculis collegit, conſcripſitque medio nono ſaeculo Methodius Patriarcha Cpol:*; Quod cum potiore jure de Leone VI. Imperatore dici poſſit, ut qui recentior eſt S. Methodio; (n. X.) quiſque facile perſpicere poteſt, rem ad id redactam eſſe, ut videamus, num S. Methodius fallere voluerit, an vero potuerit falli: cumque de primo dubitari non liceat, *quia tum apud Graecos, tum apud Latinos relatus habetur in tabulas Eccleſiaſticas, inter San-*

(a) Pag. 63. n. 6. in not. ad S. Nicol. & pag. 63. n. 1. col. 2.

(b) In Proleg. cap. XII. n. 2. pag. 16.

Digitized by Google

Sanctos annis ſingulis jugi memoria 14. *Junii celebrandus*, ut Pater Goarius ait; (*a*) & recte ac ſapienter ſcribit Canus Epiſcopus Canarienſis: (*b*) *At vero in noſtris* (*h.e. Eccleſiaſticis*) *facilior eſt ratio virtutis, & bonae fidei cognoſcendae. Optimos quoſque apud nos non ſolum humanus ſermo atque exiſtimatio colit, verum etiam Eccleſiae decretum in Concilio Coeleſtium collocat. Hos itaque mendacii, impudentiaeque arguere, quemadmodum ſupra diximus, impietatis etiam, non modo temeritatis, argumentum eſt* : reliquum erit, ut de altero tantum diſſeramus, & videamus, quaenam potiſſimum rationes adducantur, ut eum falſum eſſe putemus. Profecto S. Methodium doctrinae defectu ea de S. Nicolao ſcripſiſſe, quae dubia, aut falſa erant, Graecorum menologium ad diem 14. Junii apud Baronium aſſerere non ſinit: ibi enim legitur (*c*): *S. Methodii, qui Sanctas imagines oppugnantium errorem graviſſimis divinarum ſcripturarum teſtimoniis redarguens, orthodoxam Eccleſiae Dei fidem protegens, multas aerumnas ab haereticis perpeſſus pro Sancto venerabiliſſimo imaginum cultu conſervando laborans, aeternam requiem adeptus, peccatorum remiſſionem nobis expoſcit*. Nicolaus etiam Papa in Epiſt. ad Michaëlem Imperatorem Methodium κατ' ἐξοχὴν (*per excellentiam*) magnum appellat apud laudatum Baronium, atque idemmet Cardinalis, virum doctiſſimum fuiſſe ſcribit (*d*). Quamobrem recte inde conſequitur, ut quoniam vitae ſanctitas, doctrina, Patriarchalis item Cpol. dignitas, virum nobis exhibent, diſcernendi vera a falſis vi praeditum: nihil eſt, quamobrem vereamur, ne quae de S. Nicolao nobis legenda proponit, falſa, atque a vero aliena ſint judicanda.

XIV. At enim, ſuggerit Cl. Falconius, S. Methodius poſt quingentos ſilentii loquaciſſimi annos primus Vitam S. Nicolai conſcripſit: quid igitur ſperes ab Auctore, qui ea narrat, quae

(a) In Euchology. pag. 697. not. 1. edit. Patav. 1734. edit. Ven. vide Baron. ad 14. Jun. lit. F.
(b) Lib. 11. cap. 6. pag. 332. col. 2.
(c) Martyrol. Rom. 14. Jun. lit. F.
(d) Ad Ann. 847. n. xxxII. ſeq.

quae quingentis ante ipſum annis eveniſſe contenditur? Nonne fidem ipſi eſſe derogandam decet, praeſertim ſi e Graecis ſit, ad excogitandas, atque hauriendas fabulas, non ſecus ac Judaei mirifice factis? Vide haec eſſe a Tillemontio deſumta, cui conſonat Bailletus, Mabillonius, atque Launojus apud P. Honoratum a S. Maria (*a*). Hi enim in Critica verſatiſſimi Viri nullam adhibere propemodum fidem ejuſmodi Auctoribus ſolent, illi Cardinalis Baronii principio innixi: *Quod a recentiore auctore de rebus antiquis ſine alicujus vetuſtioris auctoritate profertur, contemnitur.*

XV. Sed ut haec vero pene ſimilia appareant, numquam tamen poterunt S. Methodii auctoritatem labefactare. Praeter enim quam quod, ſi huic canoni, quem Critici excogitarunt, ſtandum eſſet, actum jam foret de tot tantiſque hiſtoriis, ac Sanctorum geſtis, quae non minus certa, & credibilia ſunt, quam quae ab ipſis clariſſimis viris tamquam indubitatae fidei proponuntur, hiſtoriis, ac Sanctorum geſtis, inquam, ab auctoribus pluribus, qui multis Saeculis poſteriores ſunt, compoſitis, atque conſcriptis, ut plene demonſtrat idem P. Honoratus: numquam eſt a Cl. Falconio probatum, S. Methodium proprio ingenio indulſiſſe, nulla antiquiora monumenta perſcrutatum eſſe, atque ex proprio cerebri penu, quae tradit depromſiſſe. Cum igitur Sanctiſſimi Viri conditio, mores, doctrina, & dignitas nobis non exhibeant, niſi vitae ſcriptorem, qui omni uſus diligentia rem perpenderit, fieri potuit (ut cum Mabillonio loquar), imo contigit, S. Methodium *Authorem haud ſynchronon hiſtoriam exaraſſe ſeriis monumentis, rationibuſque innixum, omnique maturitate, ac prudentia.*

XVI. Sed undenam, fortius urget Cl. Falconius (*b*), *haec tam nova, & uſque ad ea tempora geſta iſta, ignota omnibus eruetis, vel fueris expiſcatus (quod malum) numquam prodit*. Huic objectioni primum reſpondet idem Cl. Mabillonius,

(a) Tom. I. Animad. Critic. pag. 129. edit. Ven. 1751.

(b) Ad Act. S. Method. pag. 39. not. 1.

nius, ut videas ab iis quoque medicamenta manare, a quibus venena haurire ſolemus: *Nimis*, inquit, *fidendum non eſſe iis, quae ſcriptores vel abſolute, vel ferme contemporanei ſilentio praetereunt; contingere ſiquidem poteſt, ut auctor, vel tempore remotior ſelecta quaedam monumenta perlegerit, in ſecretis, quum res evenerunt, habita, ſeu etiam Scriptores Synchronos, vel ferme Synchronos inviſerit, quorum Opera mox evanuerint*. Quod certe de S. Methodio cogitandum eſſe, Clariſſ. Sollerius ab eodem Falconio pro ſuo confirmando *Syſtemate* quadratis litteris laudatus, ſatis aperte innuit, dum ſcribit ad Martyrologium Uſuardi ſexta Decembris die: *Noſtrum erit alibi diſpicere, an adeo contemnenda ſint, quae laudati Scriptores (a) ex antiquioribus procul dubio monumentis collegerunt*. Imo quod caput eſt, non aliter de S. Methodio judicandum eſſe ipſamet S. Methodii in ſcribendo oeconomia aperte demonſtrat. Initio enim Homiliae, quam eidem Cl. Falconius tribuit, quamque edidit in actis pag. 56. ità ſcribit: *Quapropter & nos auditores facti, quin oculati teſtes veritatis geſtarum ab eo rerum; pauca omnino, parvaque, ſed utilia, quae de eo ſparſim circumferuntur; alia equidem ex auditu, alia vero didicimus oculati; illorumque nomina & opera meminerimus; domuſque, & genus in parvo numero colligemus; ut his, qui legerint, non ſit dubius, quiſnam fuerit rerum exitus*. Vero enim ſimile non eſt, S. Methodium, qui in S. Nicolai mirabilibus geſtis enarrandis, tantam diligentiàm, curamque adhibere conatus eſt, majorem, aut ſaltem aequalem in Patria, natali, genere, dignitate recenſendis nullo pacto adhibuiſſe.

XVII. Deinde, ſi iidem Clariſſimi Viri; in quorum lectione multum profeciſſe in arte critica tam fortiter, tamque laudabiliter exercenda Cl. Falconium credendum eſt; nullam Auctoribus illis fidem derogant, qui pluribus ſaeculis poſteriores Sanctorum vitas nobis legendas propoſuerunt, poterit tum idem Cl. Vir jure, ac merito aſſerere, S. Methodium vulgi

(a) Methodius & Metaphraſtes.

vulgi traditionibus illuſum ſomnia ſcriptitaſſe, atque commenta propinanda nobis exhibuiſſe? Profectò ſi ſuis Praeceptoribus morem gerit, ſi eorum praecepta tam ſanctè colit, nulli dubium, quin temperantius de S. Methodio in hujuſmodi re ſit locuturus. Jam vero ut id praeſtare poſſimus, non opus eſt, ut multum laborare debeamus; nobis enim laborem levat Cl. P. Honoratus (a), cujus verba etſi prolixiora adducere tamen, operae pretium eſt, ut fidem exſolvam: *Vitas*, inquit loquens de Bailleto, *SS. Cyri & Joannis Martyrum a S. Sophronio deſumſit, qui eas trecentis, poſtquam affecti Martyrio ſunt, annis coëgit: S. Antonini Abbatis S. Mederici, S. Genebaldi Epiſcopi Laudunenſis, & S. Barontii Heremitae geſta tribus item Saeculis, ac Sancti iſti, recentiora ſunt: alia S. Gudulae trecentis quinquaginta annis. Acta S. Fridolini Abbatis quadrigentos ab illius ſuprema die annos numerant, non ſecus ac S. Pauli Epiſcopi Legionis, Humberti Maricolenſis, S. Amatoris, S. Theodartii, S. Maugilii Solitarii in Picardia, S. Adelmi Epiſcopi Schreburgenſis in Anglia, S. Bernoni Epiſcopi Miſnienſis in Saxonia, S. Juventii Epiſcopi Papienſis, & S. Deſibodii Abbatis. Acta Sanctae Lindrae Virginis quingentis annis; S. Diè Epiſcopi Noviodunenſis ſexcentis; & S. Amabilis Presbyteri Ricomagenſis octingentis annis poſteriora ſunt, ut plurima alia praeteream, quorum moleſta eſſet enumeratio. Qui omnes Scriptores plerumque neminem in teſtem appellant; unde ad nos ea derivaverint, cet.* Si igitur nullius fidei, nulliuſque ponderis ſunt, quae S. Methodius auctor quingentis annis poſterior, de S. Nicolao conſcripſit, nullius etiam ponderis, atque fidei judicandae laudatae Vitae erunt a Bailleto editae; quod, an Bailletus ipſe ferre poſſit, videat Cl. Falconius.

XVIII. Atque hinc manifeſte patet, quam vim ineſſe putandum ſit argumento negativo, quo Cl. Falconius, aliique, quos ipſe ſequitur, magnopere abutuntur, dum ajunt, veroſimile non eſſe, S. Nicolaum tempore Conſtantini Magni flo-

(a) Tom. 1. Anim. Crit. diſſert. 11. art. V. pag. 131.

floruiſſe, atque anno 325. Concilio Nicaeno interfuiſſe; quum tamen S. Athanaſius recenſendo Epiſcopos, pietate celebres, qui inter Graecos ab anno 325. ad 355. uſque floruere, S. Nicolaum ne nominet quidem. Pauca igitur & de h. m. argumento dicamus; ut inde quiſque dignoſcere poſſit, num hac ratione rem Cl. Falconius confecerit; & minus in his rebus enodandis verſati, habeant, unde ſe tueri pro S. Nicolao poſſint.

XIX. Qua in re ſi quid ſincere fatendum ſit, nihil eſt tam incertius, quam definire utrum argumentum negativum vim revera habeat, an non. Demonſtratum eſt enim a P. Honorato (*a*), ſi quas Critici praeceptiones hac de re praeſcripſerunt, adhibere velimus, fore plerumque ut veritas e ſua dejiciatur ſede, &, dum nos accuratiores reddere putamus, vim ipſi veritati inferre, eamque penitus extinguere, quinimo ita h. m. argumento eosdem clariſſimos viros abuti, ut modo vim ejus magni faciant, modo elevent, pro ut e re nata ſibi opportunum videtur: *Bailletus* (verba P. Honorati) (*b*) *ſit exemplum, contendis factum de Heraclio Imperatore Crucem humeris ſuis geſtante, purum putum mentis figmentum eſſe. Id vero evincit, quod Theophanes modum perſequens, quo Perſide in locum priſtinum reſtituta eſt Sanctiſſima Crux, nihil attingit eorum, quae Heraclio eam ferenti, contigerunt. Prudentius Poëta, auctor Homiliarum, quae Euſebii Emiſſeni nomine circumferuntur, aliique veterum non pauci perhibent: puerum*, Baralum *nuncupatum, cum S. Romano morte affectum pro Chriſto fuiſſe; at Euſebius Caeſarienſis, inquit Bailletus, & S. Joannes Chryſoſtomus* (homilia ab ipſo aliena, ut ad marg. obſervat P. Honoratus) *nullam hujus pueri mentionem habens; quod ſatis ſuperque eſt, ut ſuſpicioſam de hiſtoria hac ſententiam proferamus. Habes, facta duo ſolo veterum ſilentio repudiata. Quid tum? Narrat idem, Philoſtorgio duce, S. Lucianum paulo ante quam extremum*

(a) Tom. 1. animadv. Crit. diſſert. 3. art. 2. §. 1. pag. 144. & 145.

(b) Ibid. §. 11. pag. 145.

mum ageret ſpiritum ſupra pectus ſuum , veluti ſuper Altari quodam , collocari juſſiſſe ſpecies conſecrandas , atque ita compoſitum rem ſacram peregiſſe ; cum autem id factum Euſebius, & Joannes Chryſoſtomus, licet ampliſſimam Luciani memoriam uſurpent, praeterierint , eorumque ſilentium certe hiſtoriae hujus veritati nocere poſſit , ita argumentum occupat Bailletus, quod eſt S. Joannis Chryſoſtomi id reticentis, cogi inde tantum poteſt : Sanctum hunc laudatorem, ut omnia diceret non ſuſcepiſſe ; ſed vero ſi talis reſponſio firma ſatis & ſolida viſa ipſi eſt , cur non licebit , eam ambobus factis ab ipſo ob veterum ſilentium ad apocrypha amandatis accomodare ſimilibus verbis : Theophanes, Euſebius, & author Homiliarum ſub Chryſoſtomi nomine latens , ut omnia dicerent non ſuſceperant ? Vides, ut hi ſummi viri eademmet argumenta , quibus plura facta reſpuere non verentur, facili negotio eludant, cum contra ipſos urgentur . Spem igitur veris S. Nicolai Cultoribus non adimunt , imo ad eorum exemplum animos eisdem addunt, ut adverſus Falconium pugnent, & ſimili ratione reſpondeant , Athanaſium non ſuſcepiſſe onus omnes e Graecia Epiſcopos pietate celebres recenſendi . Totus eſſem in exſcribendo P. Honorato , ſi omnia adducere heic velim , quae Clariſſimus Vir circa hanc rem animadvertit , exemplis indicando , quam parvi negativum argumentum faciant Tillemontius , P. Natalis ab Alexandro , aliique, ſi quis illud contra eos urgeat ; quum tamen ubi e re ipſis viſum fuerit, facile reſpondeant, facta reſpuendo, *ſed de his apud veteres altum ſilentium.*

XX. Sed ne videar ego etiam re infecta hinc diſcedere, duplex cum Cl. Mabillonio (*a*) diſtinguendum eſt argumentum negativum . Alterum mere negativum ; alterum vero poſitivum quid mixtum habens . *Argumentum* (ſunt ejuſdem Viri verba) *mere negativum eſt, ſi ex.g. dicatur : Vocabulum extremae unctionis nullum apud auctorem legitur ante duo-*

(a) Stud. Monaſt. t. 1. part. 2. c. 13. pag. 197.

duodecimum Saeculum: ergo Prudentii Epiſcopi Trecenſis textus in vita S. Mauri, ubi ejuſmodi dictio habetur, procul dubio adulterinus erit. Argumentum vero negativum cum poſitivo mixtum erit, ſi dicatur, nullus auctor ante Martinum Polonum meminiſſe legitur Joannis Papiſſae; omneſque auctores Synchroni, & qui ad ipſam ſequuti ſunt, uſque ad dictum Martinum, immediate poſt Leonem IV. ponunt Benedictum III., neutiquam vero Joannam; ergo haec praeſumta Papiſſa merum eſt commentum a praefato Martino confictum; quod negativum in iſto argumento videtur eſt = nullum auctorem ante Martinum praeſumtae iſtius Papiſſae meminiſſe: quod vero poſitivum eſt = a ceteris quibuſque auctoribus Benedictum III. proprio ſuo loco cenſeri immediate poſt Leonem IV. Hac adhibita diſtinctione videamus, quid ſentiat de utroque argumento idem Mabillonius: *facilius autem eſt* (pergit) *ex primo, quam ex ſecundo argumentandi genere, in paralogiſmum incidere, quare ne in praxi argumenti mere negativi fallamur, neceſſum eſt, ne dum ſingulos evolviſſe ſcriptores, ex quorum ſilentio tale argumentum eruitur, ſed inſuper nullatenus ambigere, num aliqui nobis deſint, qui fuerint ipſis contemporanei: contingere namque poteſt, quod auctor, cujus ſcripta ad nos uſque minime devenerint, rei alicujus mentionem fecerit, quae tamen a ceteris fuerit praetermiſſa.*

XXI. Jam vero, ſi Cl.Falconius indubiis argumentis probaſſet Concilio Nicaeno I. interfuiſſe Epiſcopum Myrenſem, ſed alium a noſtro S. Nicolao; tempore Conſtantini floruiſſe Epiſcopum iterum Myrenſem, ſed a Sancto Nicolao item diverſum; poſſet tunc jure ac merito h. m. argumento negativo, mixto tamen cum poſitivo, poſſet, inquam, uti adverſus ejuſdem Acta jam vulgata. Id tamen nunquam praeſtitit, neque in poſterum praeſtabit. Reliquum eſt igitur, ut vere negativo argumento tantummodo innitatur. Ad haec, unde conſtat, Cl. Falconium, alioſque viros in re critica ſummos, quos ſequitur, omnes evolviſſe Scriptores S. Nicolao coaevos? Nonne contingere

poterit, quod ad noſtra uſque tempora minime devenerint ſcripta auctoris, qui S. Nicolao eſt Synchronus? Quid tum poſtea? Poſſet Cl. Falconius indubie aſſerere, nullum ex coaevis auctoribus S. Nicolai mentionem facere? Praeterea ponamus, Nicolaum Epiſcopum Pinarenſem, pro quo tam fortiter pugnat Falconius, Synodo, quam Vigilius Pontifex urgente Juſtiniano Imperatore Conſtantinopoli coëgit anno DXLVIII. cum aliis Epiſcopis interfuiſſe. Ponamus etiam S. Methodium non Saeculo IX., quo vixit, ſed X., vel XI. ſcripſiſſe, huic Synodo, ceteris auctoribus ſilentio id praetereuntibus, S. Nicolaum Epiſcopum Pinarenſem interfuiſſe; quaeſo quam vim haberet negativum argumentum: per quatuor ſcilicet, vel quinque Saecula nullus auctor id ſcripſit; ergo non interfuit? Neque tempore Juſtiniani S. Nicolaus Pinarenſis floruit? Nullam certe vim haberet, & facto ipſo comperiemus poſt undecim tandem Saecula in lucem proferri acta auctoris Synchroni, qui Nicolaum Piranenſem Juſtiniani tempore floruiſſe, atque praefatae Synodo interfuiſſe (ſi acta id oſtenderent, quod non praeſtant) aperte doceret. Quid ni igitur, licet Acta S. Nicolai Archiepiſcopi Myrenſis ab auctore coaevo conſcripta hactenus reperta a nobis non ſint, eodem modo hujuſmodi argumentum negativum averti poterit? Nonne potuit h. m. acta S. Methodius videre, licet ad hanc uſque aetatem non devenerint? Si haec aequo animo Cl. Falconius expendere voluerit, comperiet profecto non adeo hoc argumentum mere negativum urgendum tam facile eſſe.

XXII. Tandem, ut aequo me jure differere Cl. Falconius videat, opportunum cenſeo hic referre quid ſentiat de h. m. argumento negativo Eminentiſſimus Cardinalis Lambertinus in ſuo abſolutiſſimo Opere de Canonizazione Sanctorum (*a*) nunc Benedictus XIV. quem D. O. M. pro Eccleſiae bono ſolpitet, ſervetque incolumem. Poſtquam enim mul-

(a) Lib. 3. c. 10.

multa ac varia eruditione, doctrinaque referta eſt perſecutus, tandem ſapienter monet num. 6.: *Negotio redacto ad punctum argumenti negativi, non eſſe indiſtincte procedendum, nec ejus vim eſſe abſolute admittendam, vel rejiciendam; cum materia ipſa aliquando, aliquando temporum circumſtantiae ei fidem, & auctoritatem conciliare poſſint*. Atque infra: *uno verbo, vis, aut inanitas argumenti negativi a circumſtantiis pendere debere videtur, teſte ipſo Launojo inſigni negantis argumenti defenſore: Sunt tamen qui difficultatem in abnutivis nullam eſſe volunt, eamque, dum cominus urgentem ſentiunt, devorare ſe putent, ſi per contemptum dixerint, negativa ſunt argumenta, quibus nihil concluditur. Sed ut verum fatear, illud ſine ullo diſcrimine, vel delectu qui faciunt, eos eſſe in dialectica mediocriter inſtitutos quotidie experimur: neque enim Canonem illum, quo, ex negativis nihil concludi, ſtatuitur, aliter, quam de memoria, recitant; neque quo intelligendus ſit modo, uſpiam attenderunt. At enim, ut res ſpectetur ex ſeipſa, nec admittenda, nec rejicienda eſt quaevis abnutiva ratiocinatio. In iis autem, quae ex conditione facti, ex uſu, & traditione pendent, ſi quadret in omnem penitus ſubjectam materiam, firmiſſima judicari debet; ſi non quadret, quia poteſt magis, aut minus quadrare, aliquando probabilitatis habet aliquid, aliquando nihil, idque ſaepius, quo in diſcrimine regula nulla poteſt certa conſtitui, ſed, quicquid eſt, totum viri ſapientis, & aequanimis judicio relinquitur. Ex quo rectae, & appoſitae ratiocinandi leges manarunt*. Ex mente igitur Sapientiſſimi Summi Pontificis, cujus potiſſimum auctoritate moveor, dum Launoji verba in ſuae ſententiae confirmationem adducit, id aperte quis deducere poteſt, vim negativi argumenti, aut ejuſdem inanitatem ex circumſtantiis potiſſimum pendere, ut adeo ſi facti circumſtantiae, ſi uſus, ſi traditio, nullam negativo argumento vim tribuant, quis eſt qui eo uti prudenter non dubitet?

XXIII. Ex quo, ni fallor, facili negotio conſequitur, veterum ſilentium Cl. Falconio, Bailleto, Tillemontio, cete-

te-

teriſque criticis nihil poſſe ſuffragari, ſi quae de S. Nicolao Archiepiſcopo Myrenſi narrantur, atque tot Saeculorum traditione ad nos uſque pervenerunt, nullum ejuſmodi negativo argumento locum relinquant, ſed *ipſum in ſubjectam* materiam penitus non *quadrare* viri ſapientes, atque aequanimes judicent, quod inferius Deo adjuvante, me praeſtiturum confido. Interim nolim quis putet, me adeo hoc argumentum flocci pendere, ut nec etiam illius ope dubitare de re aliqua liceat. Per me ſane liceat praefatis clariſſimis viris de multis, quae de S. Nicolao narrantur, dubitare, dum rem a ſe confectam Clariſſimus Falconius non ſe jactet. Lubenti enim animo complector, quod Mabillonius (*a*) a laudatiſſimo Summo Pontifice Benedicto XIV. relatus ſatis ad rem ſcribit: *Hinc tamen non obſtat, quin in ſimilibus caſibus liceat prudenter dubitare, uſque dum novum aliquod lumen menti obveniat, vel ad conceptum dubium proponendum, vel ad ipſum affirmative, aut negative ultimo reſolvendum*.

XXIV. Atque hactenus de S. Methodio Patriarcha Conſtantinopolitano. Sequitur ut de Leone VI. Imperatore diſſeramus. Quoniam vero Illuſtriſſimus Falconius (*b*) eum veſtigia S. Methodii preſſe ſequutum eſſe obſervat, atque ab eodem poſt annum DCCCLXXXVI. ex quo imperavit, uſque ad annum CMXI. (*c*) ejuſdem *Encomium* ſcriptum aſſerit: quae huc uſque de S. Methodio diſſeruimus aptari ſatis opportune Leoni poſſunt, unum tantum addam, hancque meam conjecturam, quaecunque ea tandem ſit, doctioribus, quique Bibliothecas inviſere perquam commode valent, expendendam relinquo. Idem Cl. Falconius (*d*) obſervat, Combefiſium tom. 6. Bibliothec. Concionatoriae pag. 68., & Monfauconium in Bibliotheca Coisliana, alioſque, *Encomium*, quod ipſe Leonis Imperatoris eſſe contendit, ex

(a) Loc. cit. pag. 198.
(b) In actis pag. 75. in Titulo.
(c) Apud Falcon. mendum Typograph. cubat, cum legatur MXI.
(d) Pag. 75. cit. not. 1.

ex fide aliorum Manuſcriptorum S. Andreae Archiepiſcopo Cretenſi, qui ſeptimo, & octavo Saeculo floruit, tribuere; idipſum facit Beatillus in Vita S. Nicolai; quae enim apud Falconium ex Leone leguntur, apud Beatillum S. Andreae Cretenſis eſſe dicuntur, ut ex iis, quae recitat, facile dignoſcitur. Idem vero Beatillus in indice auctorum loquens de Oratione S. Andreae Cretenſis, eam in Bibliotheca Sforțiana num. 43. extare teſtatur. Si quid conjiciendum eſt, h. m. *Encomium* potius S. Andreae Cretenſi, quam Leoni tribuendum eſſe arbitror. Videtur enim auctor hujus *Encomii* Myrae in Lycia illud recitaſſe in Eccleſia, ubi erat corpus S. Nicolai in illis verbis: (a) *Sed eja omnes pariter, o Sacratiſſimi, & Religioſiſſimi auditores, qui ad Templum hoc conveniſtis, feſtum diem Sacrum, celeberrimum feſtive agamus, & Deiferi Patris noſtri, omni laude digniſſimam celebrando memoriam recolamus*. Id quod infra clarius patebit. Laudibus etiam extollit urbem Myrenſem Lyciae Metropolim, dum ait: *Beatam quoque te Myram praedico, Metropolim Urbem Lyciae, quae talem Paſtorem, & Praeſulem nacta es; quae talem in Capite ſuſcepiſti coronam: virum nempe revera etiam ſenectutis gloria venerandum, quem illum? Nicolaum, cet.* Imo quod caput eſt, preces pro Archiepiſcopo Myrenſi, qui tunc, cum Oratio, ſive *Encomium* recitabatur, ejusdem urbis ſedem occupabat, preces, inquam, effundit, (*vid. n. X. n.* VI.) nullas vero pro ſeipſo tamquam Imperatore, atque Imperio, in cujus gubernatione S. Nicolai auxilium poſtulare congruum erat. Ut enim dicam quod ſentio, veroſimilius eſt Imperatorem ipſum oraſse pro ſe, Imperioque ſuo, quam pro Archiepiſcopo Myrenſi; atque e contrario, congruum erat, ut Archiepiſcopus Cretenſis pro Myrenſi, in cujus Eccleſia orationem habebat, preces effunderet. Ad quam rem firme ſtabiliendam magnopere faciunt, quae ſcribit celeberrimus Ludovicus Antonius Muratorius, qui dum Burneti ſomnia de San-

(a) Apud Falcon. pag. 81. num. 8.

Sanctorum Beatitudine dilata, ſumma qua ſolet eruditione, ex Graecis Scriptoribus ſtrenue diſpergit. *Incerta eſt*, inquit (a), *aetas Sancti Andreae Cretenſis Archiepiſcopi, quamquam ſaeculo Chriſti VII. floruiſſe videatur; at minime incerti ſunt ejus libri*, tum infra: *quam ſententiam*, inquit, *ab eodem Andrea Cretenſi confirmatam habemus in Encomio* S. Nicolai *Epiſcopi, ubi illum alloquens*, ait: *Nunc quoque nos impenſius paſcis, foveſque intenſius, quum Deo, perfectae illi ac adorandae Trinitati pure adhaeres, cujus in circuitu, ſpiritali ratione cum Angelorum Ordinibus ducens Choros, nos e Coelo intueris, cet.* quae verba ſi conferas cum iis quae leguntur apud Falconium in *Encomio* Leonis Imperatoris (b) nimirum: *Nunc potiſſimum rege nos, & validius fove, cum purus adſiſtis purae, divinae, perfectae, adorandaeque Trinitati, circa quam ſpiritualiter tripudias, Angelicis cum Ordinibus. E Coelis, o Divinum, & Sacrum Caput, Apoſtolicis Chariſmatibus, paterniſque patrociniis nos inviſe, cet.* Si haec, inquam, cum illis conferas, luculenter perſpicies a Cl. quoque Muratorio illud *Encomium* S. Andreae Cretenſi certo tribui, quod Illuſtriſſimus Falconius Leonis eſſe arbitratur. In quo & illud animadverſione dignum videtur Graeca illa verba, ut alia mittam, apud Falconium: καθάπερ καθαρὸς τῷ καθαρῷ προσεδρέυων Θεῷ, τῇ τελείᾳ κ' προσκυνήτῃ Τριάδι, fidelius Latine reddi apud Muratorium, nimirum: *Quum Deo, perfectae illi ac adorandae Trinitati pure adhaeres;* quam apud Falconium, qui vertit: *Cum purus adſiſtis, purae, divinae, perfectae, adorandae Trinitati*. Clarius enim in illis unitatis ac Trinitatis myſterium exprimitur. Quamobrem, ſi haec ita ſint, ut me non temere conjicere arbitror, non erit S. Methodius primus, qui de S. Nicolao ſcripſerit, ſed S. Andreas Cretae Epiſcopus, quem uno Saeculo S. Methodio antiquiorem eſſe in Tabula Critica cenſet Bailletus (c), qui ejus Orationem aliquid auctoritatis habere poſſe addit, ſi ejus eſſe

(a) De Paradiſo non expectata Corporum Reſurrectione cap. XXIV. p. 258.

(b) In actis pag. 80 num. 6.

(c) Apud Falcon. in Prolog. p. 63. n. 1.

eſſe liquido conſtaret , quamquam Criticorum more nimis credulum eum etiam vocet , & ſolitum, qui falſas traditiones ſequatur ; quod ſi cui ſcrupulum injiciat , laudari ab Auctoribus etiam *Encomium* a Leone VI. Imperatore compoſitum , & conſequenter ſi Oratio a Cl. Falconio edita non ipſi, ſed Cretenſi Epiſcopo Andreae tribuenda ſit, tum deficiet Leonis *Encomium*, & poterit is ſibi ſcrupulum iſtum eximere, ſi animadvertat , Beatillum etiam multa ex h. m. *Encomio* in Vita S. Nicolai laudare, atque in Indice Auctorum aſſerere , illud in Bibliotheca Cardinalis Columnae ſub numero 112. 228. Romae extare MS. , ut adeo , & S. Andreae Cretenſis *Panegyrim* , & Leonis VI. Imperatoris Orationem hoc pacto habeamus; cui ſi addas ex Falconio (*a*) Petrum Poſſinum anno 1644. edidiſſe Graeco-Latine Orationem Leonis Sapientis Imperatoris , cujus initium diverſum eſt ab ea , quam edidit Falconius ipſe, quamque idem Poſſinus ait eſſe XXI. ex XXX. *quas in* S. Nicolai *laudem habuit Leo Auguſtus* ; omnis ſcrupulus penitus eximetur . Sed iterum haec me conjicere ajo, nihil pro certo affirmans, ac viris doctioribus expendenda relinquens ; quod tamen , ſi ut puto, ita eſſe demonſtretur, tenebrae non ita ſpiſſae rem obvolverent, & ſpes eſſet, ut, in apricum veritate producta, evidentiora de S. Nicolao Archiepiſcopo Myrenſi ſine dubio in medium adduci facillime poſſent .

(a) Pag. 108. in Actis in admonitione.

CAPUT IV.

De Actis S. NICOLAI *Myrenſis a Metaphraſte conſcriptis. Ejuſdem Scriptoris auctoritas aſſeritur; eumque non ſecus, atque ceteros hiſtoricos, ni indubia, & certa monimenta obſtent, omnem mereri fidem demonſtratur.*

XXV. Ultimus e Graecis Auctoribus, quos Cl. Falconius edidit, quique de S. NICOLAO Myrenſi ſcripſerunt, eſt Metaphraſtes, quem cum audis, ſcias a Triumviris Tillemontio, Bailleto, & Morerio, tamquam putidum fabulatorem proſcriptum, ut, eo e medio ſublato, non ſecus ac illi celebres Romani Triumviri, qui totum Imperium inter ſe, tamquam privatum patrimonium diviſerunt, de Sanctorum Vitis ipſi benemeriti eſſent, & ſoli in re h. m. imperarent. Parcat his lector; Cl. enim Falconius anſam mihi praebuit, ut haec ſcriberem, cum ipſe etiam ſcripſerit (*a*): *Supra aliquod judicium de Nicolai rebus appoſuimus Cl. Sollerii ad Uſuardum. Ad Triumviratum deſunt Tillemontius, & Bailletius.* Ego vero Morerium Sollerio ſubrogavi; quoniam Tillemontius (*b*) non credit ullum Metaphraſti morem gerendum eſſe; Bailletus eumdem mentiendi artem exquiſite tenuiſſe putavit, ut religioni ſibi duxerit, eum non laudare modo, ſed ne in libris quidem ſuis nominare; Morerius (*c*) tandem ea, quae Metaphraſtes ſcripſit, purum eſſe commentum, afferere non dubitavit. Quid de h. m. circa Metaphraſtem praejudicio ſit ſentiendum, in ſequentibus, quantum horum Virorum Clariſſimorum auctoritas, atque in Auctoribus cribrandis eorumdem exquiſita peritia ſinit; pro viribus demonſtrabimus.

(a) Pag. *60.* in Proleg.

(b) Apud P. Honor. tom. I. diſſert. 2. art. 4. pag. 115.

(c) Apud Falconium Proleg. pag. 68., ſed confer n. 11. not. (*b*), & ſeqq.

mus. Interim lectores monitos velim, ne heic a me expectent, ut quae Metaphraſtes de S. NICOLAO peculiaria ſcripſit, veluti in compendium exponam; vulgata enim ſunt; quaeque de S. NICOLAO circumferuntur, omnia pene exhauriunt. Non praetermittam tamen aliqua non contemnenda, cum ſe ſe occaſio obtulerit, obiter ſaltem adnotare. Illud etiam in primis quiſque animadvertat velim, me in praeſentia ipſius Metaphraſtis ſponſorem, vademque non exhibere; neque enim id inſtituti ratio, & rerum differendarum *oeconomia* heic patitur; ſat erit, ſi talem hunc e Graecis non infimum Scriptorem eſſe indicavero, qualem & plurimae Sanctorum Vitae a Clariſ. Criticis in lucem editae nactae ſunt auctorem. Sed age ad rem deveniamus.

XXVI. Principio autem quis fuerit Metaphraſtes non alienum a propoſito heic puto, ut indicemus. Plerique enim, qui Sanctorum Vitas (viros doctos, atque in Eccleſiaſtica hiſtoria apprime verſatos ſemper velim exceptos) legunt, quum Metaphraſtem audiunt, quiſnam is fuerit ignorant. Celebris hic Auctor ingenio utrum dicam, an Criticorum in ipſum animadverſionibus, Simeon Logotheta nominatur, dictus Metaphraſtes, non quod *interpolator* fuerit, ut contendit Bailletus (*a*), ſed quod Sanctorum Vitas in elegantius orationis genus mutaverit. Floruit ex veterum Scriptorum ſententia *nono Saeculo*. Quamquam ex Leone Allatio in Commentario *de Simeonibus* eum floruiſſe ab an. 1314. ad an. 1330. contendat Caſimirus Oudin (*b*). Joannes vero Bollandus

D 2

(a) Apud P. Honor. tom. 1. diſſert. 2. art. 4. not. ** pag. 114.

(b) Hac de re Guilielmus Cave: *Longius*, inquit, *a vero aberrant Genebrardus, & Simlerus, qui illum ad annum* 1200. *referunt; pejore adhuc errore Volaterranus ad annum* 1300., *peſſimo omnium Caſimirus Oudin, qui ab anno* 1314. *ad* 1330. *Metaphraſtem claruiſſe ſcribit: idque ſe ex mente Leonis Allatii, ejuſque argumentis convictum aſſerere affirmat*. Et infra: *Neque enim anno* 1314. *Metaphraſtes claruit, neque id dicit doctiſſimus Allatius, quam Sole ipſo clarius ſit, Leonem Allatium, tum in Diatriba de Pſellis pag.* 19. *tum in Diſſertatione de Simeonum ſcriptis, Simeonem noſtrum ad Leonis Sapientis tempora referre, idque pluribus argumentis extra omnem controverſiam probatum dare*. Hiſtor. Litter. Script. Eccleſ. Vol. 2. pag. 88. edit. Baſil. 1745.

dus (*a*) Saeculo X. ſub Conſtantino Porphyrogeneta Leonis Filio, cui conſonat Falconius, Sanctorum Acta lucubraſſe, arbitratus eſt. De eo idem Bollandus ſcribit: (*b*) *Illuſtri ortus Familia Simeon juvenis in Secretariorum adſcitus Claſſem, arduas obiit legationes, bellicis expeditionibus interfuit, aut etiam praefuit, princeps Secretariorum, & Patricius renuntiatus, dein & Logothetes (qui nobis Cancellarius eſt, ut ex Joanne Cinnamo probat Allatius) cet.* quod munus ſi idem eſt cum eo, quod magno Logothetae tribuit Codinus, ex eodem deſcribi poteſt (*c*): *Magnus Logotheta diſponit ab Imperatore miſſa mandata, & quaecumque alia aureo ſigillo ad Reges, Sultanos, & Toparchas firmata ſunt. Et hoc proprium eſt magni Logothetae miniſterium.*

XXVII. Sed ut haec magnam Metaphraſtis laudem praeſeferant, male tamen ipſe audit apud Clariſſimos viros de Critica benemeritos. Praeter Tillemontium, Bailletum, Morerium, quos laudavimus, (*d*) Cardinalis Bellarminus etiam eum carpit, quod Sanctorum Vitas ex *proprio ingenio*, non ut res geſtae fuerunt, ſed, ut geri *potuerunt*, ſcripſerit: *addit* (pergit Eminentiſſimus Cardinalis) *Metaphraſtes multa colloquia, ſive dialogos Martyrum cum perſecutoribus, aliquas etiam converſiones aſtantium paganorum in tanto numero, ut incredibiles videantur; denique miracula plurima & maxima in everſione Templorum, & Idolorum, & in occiſione perſecutorum, quorum nulla eſt mentio apud veteres hiſtoricos.* Bellarmini judicio ſubſcribunt Aubertus Myraeus, Ruinartius, aliique apud Cardinalem Lambertinum loco ad margin. cit.

quo-

(a) Praefat. general. pag. XVI. col. 1. vide Eminent. Cardinal. Lambertinum hodie Bened. XIV. de Canoniz. SS. lib. 3. cap. 9., & P. Honor. loc. cit. not.

(b) Loc. cit. Pag. XVIII. c. 1. §. 121. col. 2.

(c) Apud P. Goar in Euchológ. annot. 20. de Officialibus Eccleſ. Cpolitan. pag. 236. col. 1. edit. Venet. 1730. In hanc certe ſententiam propendere videtur Guilielmus Cave loc. cit. *Factus eſt enim*, inquit, *a Leone Imperatore Proto-Secretarius, Patricius, Magnus, ut videtur, Logotheta, ſeu Summus, uti apud nos vocatur, Cancellarius, cet.*

(d) De Scriptor. Eccleſ. in Metaphraſte. Vide laudat. Card. in edit. Venet. 1728. ubi plura alia in diſſertatione hiſtorica, & ſupplemento.

Digitized by Google

quorum Cl. Muratorius agmen claudit, ſcribens (*a*) : *Simeonis Metaphraſtis ſpiſſum opus legere juvat , fabulis uberrime refertum* . Contra Bollandus pro Metaphraſte ſcribit (*b*): *Vellem* (loquitur de Bellarmino) *mitius de viro magno vir maximus pronuntiaſſet . Unde conſtat eum non vetera ſecutum eſſe monumenta ? Omiſiſſe potius multa , quae non omnino probaret , exiſtimo , quam aliquid addidiſſe ex proprio ingenio. Retulerit tamen in ſuos Commentarios aliquid , quod cum probatis veterum Patrum ſcriptis minus congruere videatur : homo erat , falli poterat . Colloquia Martyrum cum perſecutoribus , unde conſtat habita non eſſe ? Amplificavit ea ſane ad legentium utilitatem , ac voluptatem : quis jure id reprehendat? An eſt quiſquam , qui id non permittat hiſtorico? Livio, ceteriſque licet, Ducum Orationes ſuos ad praelium adhortantium concinnare , ſacro ſcriptori non licebit myſteria noſtrae Religionis gentilibus tradita , ipſorumque confutatas ſuperſtitiones explicatius proponere? (c) Nam magno numero converſos ad fidem noſtram , viſis, quae Sancti patrarent , miraculis , numquam equidem ſum admiratus : qui enim alioquin tot ac tantae provinciae tantillo tempore ſubjici Chriſto potuiſſent ? Miracula omnia , etiam quae nunc fiunt , ſi ſuis Commentariis inſererent , qui modo Eccleſiaſticas hiſtorias ſcribunt , quanta ſingula-*

(a) De Ingen. moderat. lib. I. c. XVI. pag. 74. col. 2. edit. Ven. 1752.

(b) Loc. cit. pag. XVIII. col. 2.

(c) Opportunum heic puto animadvertere , inſolens non fuiſſe, ut Martyres quandoque ea verba proferrent , quae in h. m. concionibus leguntur . Ad rem facit , quod ſcribit Cl. Mazochius in Comment. in Vet. marmor. Kalend. Neap. Eccleſ. ad XI. Mart. in not. (9) ad Acta S. Pionii celeberrimi Smyrnae Presbyteri , ac Martyris pag. 91. ibi : *Ne quem vero forte longiſſimae Conciones offendant , quaſi quae exercitationis gratia ab otioſo aliquo confictae fuerint , ſciat has ipſas allocutiones copioſiſſimas non tantum ab Euſebii teſtimonio praeſidium ſibi adſciſcere , verum etiam dolendum eſſe , ni fallor , quod non integrae ad nos uſque pervenerint , quod certe iis conſtabit , qui Euſebii Epitomen cum Ruinartianis actis conferet , in quibus, ut cetera non deſint , illas certe* allocutiones *&* conſolationes (inquit Euſebius) *quas in carcere poſitus adeuntibus ipſum fratribus adhibuit , fruſtra requires : quibus tamen cap.* II. *locus eſſe debuit . Has autem conciones , & quidquid Martyres mutiebant , omnia a Notariis excepta fuiſſe , & aliunde ſcimus , & ex his actis intelligitur , cet.* Hactenus Vir Cl.

larum moles exiſteret? Quantum offenſionis haberet, atque faſtidii? Neque nulla, neque omnia narrant, ſed quaedam maxime illuſtria, vel teſtium celebritate, vel conſecuti fructus amplitudine. Idem veterum ſtudium fuit: qui propterea frequenter tradunt multa, & magna ad Sanctorum, vel teſtandam, ac munerandam ſanctitatem, vel dicta confirmanda, edita eſſe divina virtute miracula, neque ullum tamen commemorant. At ſi quis ex profeſſo Sancti cujuſpiam hiſtoriam ſcribat, nihil eum praeterire conſulto fas eſt, quod ſit ab eo dictum aut factum praeclare, aut cauſa ſuſceptum a mortalibus, aut denique patratum a Deo. Locus Bollandi prolixior, ſed rem ſatis eleganter exponens. Addit etiam (*a*): *Damus tamen aliquando utraſque vitas, ſi multum diſcrepent, & ſi manuſcripti antiquiores videantur, quia, quae adjecit Metaphraſtes vir doctiſſimus, ea ex aliorum ſcriptis, quorum immenſam copiam habebat, credi poteſt, hauſiſſe.* Imo licet ex Bailleto nonnulli haeretici (*b*) Metaphraſtem calumniatoris, & falſarii loco habuerint: nihilo tamen minus praeterquamquod Leo Allatius contendit (*c*) *Metaphraſtem integerrima fide hominem fuiſſe, atque in eum ideo haereticos inſurrexiſſe, quod nimium veritatem, & juſtitiam ſectaretur*; aliter de eo judicavit Guilielmus Cave, licet heterodoxus (*d*). *Vir*, ſcribit, *ad bonas litteras inſelici Saeculo promovendas natus, ipſe praeſtanti ingenio, omnique politiori litteratura ornatus .... Jubente Conſtantino Auguſto Vitas Sanctorum ante ſua tempora ſcriptas undique conquiſivit, conquiſitas recenſuit: elegantiores tamquam lectorum conſpectu dignas calculo ſuo approbavit, neque ulla in re mutatas divulgavit .... Quaſdam etiam ex Superiorum traditione acceptas, proprio marte ipſe condidit.* Quod judicium longe multum ab aliorum haereticorum judicio differt, ut animadvertit Cl. P. Honoratus: Quamobrem ſapienter, ut ſolet, Eminentiſſimus Cardinalis Lam-

(a) Tom. 1. Feb. in Praef. c. 2.

(b) Apud P. Honorat. loc. cit. pag. 115. col. 1.

(c) Apud eundem P.Hon.loc.cit.not.** Et apud Guilielmum Cave loc. cit.

(d) Idem ibid. loc. ſup. cit. pag. 88.

Lambertinus, hodie Benedictus XIV. haec de eodem argumento ſcripſit (*a*): *Itaque mihi ſane placet monitum S. Baſilii in Oratione in Sanctum Gordium Martyrem = Illorum enim, qui in fide claruerunt, hiſtoria ſimplex veluti lucem quamdam Dei cultoribus, ac virtutis iter oſtendit =* & infra = *Quod ſi reliquorum facta virorum eloquentiae floribus ornantur, Sanctis tantum ad ea, quae maxima geſſere, demonſtranda, ſat fuerit Oratio ſimplex. = Attamen ſi aliunde ſuppetant veritatis, & ſinceritatis praeſidia, nec Metaphraſti, nec aliis, qui in ſuis hiſtoriis conciones, & orationes tamquam a Martyribus, aut Confeſſoribus prolatas ediderunt, ſubtrahendum auctoritatis pondus ex ea ſola ratione cenſerem.*

XXVIII. Inter omnes tamen, qui Metaphraſti patrocinantur, eminet P. Honoratus a S. Maria: (*b*) quid praeſtiterit Cl. hic Auctor dignoſci diſtincte non poteſt, niſi omnia quae pro eodem propugnando adducit, attente legantur. Nos pauca, quae ad rem ſunt aptiora veluti delibando afferemus. I. (*c*) Demonſtrat quam multa a Metaphraſte mutuati ſint ipſi Cl. Critici: *Nemo*, inquit, *inficias iverit futurum, ut in Collectione Vitarum Sanctorum Arnaldi Andilliacenſis, in Actis ſinceris & ſelectis Theodorici Ruinartii, in monumentis Tillemontii, in Vitis Sanctorum Bailleti, atque in aliorum Sapientum Operibus, qui id argumenti tractandum ſuſceperunt, & Metaphraſtem adeo flocci faciunt, lacunoſa multa apparerent, ſi delenda eſſent ea omnia, quae ab Auctore iſto originem ducunt: altius enim repetenti primos multorum Actorum Martyrum, & Sanctorum geſtorum fontes perſpicuum fiet: maximum monumentorum iſtorum numerum a Metaphraſte ſive compoſitum, aut ſaltem emendatum, retractatum, atque Eccleſiae aſſervatum fuiſſe; quo ſane meritus eſt, aut ego fallor, ut certe ſemel citaretur, & jus ſibi ſuum tribueretur*: idque per exempla probat: monet tamen laudatos viros, dum Sanctorum vitas Metaphraſti adjudica-

tas

(a) Lib. 3. cap. 9. de Canoniz. SS. n. 3. Part. 2. a pag. 115.
(b) Tom. I. differt. II. art. IV. per tot. (c) Cit. art. IV. §. II.

tas retulerunt; *hiſtoriae eos ſummam ſervaſſe, nihilque ſuccidiſſe, praeter quaedam mira facta, & prodigia, quae ipſis non ſapiunt; ſive levia quaedam adjuncta, quae viſum eſt ipſis praeterire; ceterum quod eſt Actorum Martyrum auctore Metaphraſte, quaeque in ſuam collectionem Ruinartius recepit, jacent ibi intacta prorſus, atque ejuſmodi, ut ea invenit primo in Manuſcriptis & impreſſis Codicibus; quamvis etenim Acta iſta per Metaphraſtis alveum defluxerint, nihil inde tamen coenoſae foeditatis contraxerunt.* II. (*a*) Miratur, qui fieri potuerit, ut Clariſſimi Auctores, quique fidem ſuam publice obligaverant, *ſe nihil producturos, quod e puriſſimis antiquitatis fontibus non manaverit, tot a Scriptore perditiſſimi nominis* (ſic vocant Metaphraſten) *Acta, & Vitas Sanctorum eorumdem, ac non contemnendas Epitomas acciperent, maximumque factorum numerum exiguae adeo auctoritatis teſtimonio concrederent, quantumvis enim artibus omnibus contendant, nonnullorum origines, atque aliquorum Canales eorum nominibus obſtruere, qui Metaphraſtis collectiones confecerant; verum nihilominus ſemper erit, & ſolidum, quamplurima ipſum Acta Martyrum, nec pauciorum Sanctorum Vitas a temporum oblivione ſuſtuliſſe, quorum ne veſtigium quidem apparet alibi, neque editum, aut Manuſcriptum volumen reperire erit, quod iſtorum ante Metaphraſtem verbum ullum fecerit. Quamobrem quicunque deinceps conſecuti ſunt, per hunc veluti Actorum ductum illa omnia derivarunt.*

XXIX. Sed ut ejuſdem Clariſſimi viri laboribus fruamur potius, quam utamur, pergit P. Honoratus, ac demonſtrat (*b*) culpas omnes in Metaphraſte a Criticis deprehenſas ad *additiones tandem & autographorum Paraphraſes* referri; non conſtare tamen, ut ſuperius ex Bollando etiam retulimus, Graecum hunc Scriptorem *priſcis monumentis mordicus non adhaeſiſſe; & pro arbitratu ſuo Martyres, & Tyrannos obloquentes induxiſſe, & praeterea in comperto eſſe*, = *quingentas triginta novem ex his, in quarum fronte Scriptoris hujus*

ti-

(a) In fine §. III.

(b) Ib. §. IV. pag. 119. col. 2.

titulus apparet, fraudolenter Metaphraſti adjudicari = ; adeo ut ſcripſerit Guilielmus Cave (*a*): *Vitarum, quas conſcripſit Metaphraſtes, numerus in immenſum cumulum poſterorum negligentia auctus eſt; obſcuriori cujuſvis anonymi Auctoris narratiuncula Simeoni Metaphraſti mox adſcripta*. Inter genuinas tamen vitas a Metaphraſte compoſitas illam S. Nicolai Myrenſis numerari num. 97. a Leone Allatio refert idem Guilielmus Cave omnino videndus (*b*). Aſſerit idem P. Honoratus, Acta Metaphraſtica S. Eupli Diaconi, & Martyris in Sicilia a Lipomano, & Surio edita, quae *laciniosa, imo inepte coagmentata, additis non ſolum tormentorum variis generibus, ſed & plurimis miraculis*, ſive ab ipſo Metaphraſte, ſive a ſuis amanuenſibus, a Bollando (*c*) dicta fuerant, a Continuatoribus tamen Bollandianis (*d*) *collata deinde S. Martyris hujus hiſtoria, eoſdem Clariſſimos viros deprehendiſſe, a Metaphraſte abhorrere longe Actorum S. Eupli, quam in Lipomano, & Surio legimus, editionem.* III. (*e*) *Exageratas adeo Paraphraſes complecti demum nonnulla dumtaxat verba, ſive ad nectendas Periodos, ſive ad Lectoris attentionem conciliandam apposita, adjunctis temporibus, & locis*; idque Metaphraſten effeciſſe exemplo Sanctorum Patrum, quorum ſermones ea ſcribendi ratione ſunt exarati, quam imitatum eſſe Metaphraſten ipſum, eſt in comperto; quin etiam prolixam orationem a Militibus legionis Thebanae habitam, atque a S. Eucherio Lugdunenſi relatam exſcribens, animadvertit (*f*) : *Ægre admodum credi poſſe, S. Eucherium Lugdunenſem illius auctorem nibil ex ingenio ſuo in eam contuliſſe, & paraphraſis more non vertiſſe. Si quid ſimile occurreret in Metaphraſte, clamarent illico: id figmentum ipſius eſſe, & Sanctos pro inſtituto ſuo loquentes inducere. Interim non putaverim exſtitiſſe quempiam, qui de S. Eucherio redarguendo, cogitaret, propterea quod ea verba, & cogitata inclytis illis militibus accomodaverit*, praeſertim ob

E du-

(a) Apud P. Honor. pag. cit. not. *

(b) Tom. 11. Hiſt. Litter. Saec. x. pag. 88., & ſeq. Edit. Baſil. ann. 1745.

(c) Tom. 1. Feb. pag. 599. col. 1.

(d) Tom. 1. Maji pag. xxxvii. Ephemer. col. 2.

(e) §. v. pag. 121. col. 2.

(f) §. cit. in fin. pag. 121. col. 2:

ducentorum circiter annorum intervallum inter illorum Martyrum, & S.Eucherii tempora interjectum. IV. Animadvertit, *quod etſi dignus ſit (a) Metaphraſtes, qui reprehendatur, nihilne erit, quod ipſi faciles indulgeamus? Si namque liberum eſt eruditis Criticis, diverſa hiſtoriarum, quas afferunt, loca in ſummam redigere; ne vanitate ſimul, et ſatietate repudientur; num quid non largiri quoque Metaphraſti poſſent aliquid libertatis, ut religioſe ſervatis omnibus rei capitibus, minuta quaedam adjuncta, commodioris aut jucundioris narrationis gratia, ſuperſtrueret, quod item ipſi pro re nata committere non negligunt?* Quod certe eo magis multum ponderis eſt habiturum, ſi itidem animadvertamus, difficillimum forte iiſdem Cl. Viris eſſe, *oſtendere, Metaphraſten in Vitarum Sanctorum collectione, nova miracula commentum eſſe*.

XXX. Exemplum deinde laudatus P.Honoratus (*b*) affert Paraphraſeωn Bailleti nihilo Metaphraſtis Paraphraſibus minorum in *texenda Vita Cyrilli pueri Martyris Caeſaraeae in Cappadocia Decio, aut Valeriano* Eccleſiam *inſectantibus*; atque excribit Sancti illius pueri hiſtoriam, ut legitur apud Bailletum, addito Autographo, cui ſe adhaeſiſſe Bailletus ipſe fatetur; atque in fine concludit: *In aperto eſt ex his, quae recitavimus, judicare, multa Bailletum Autographo addidiſſe, praeteriiſſe multa, ut quaedam loca mittam a germana exemplaris interpretatione diſtorta.* Tandem ne pene totus ſim in excribendo P. Honorato; Cl. hic auctor ad finem ſuae *Apologiae* pro Metaphraſte, Vitam dat S. Nicephori Martyris, e MSS. Regiae Bibliothecae depromptam, & cum ea, quam edidit Metaphraſtes, collatam, in qua additiones a Metaphraſte interpoſitae italicis Notis deſcribuntur; tum ſcribit: (*c*) *Conferenti additiones* a Metaphraſte in S. Nicephori Vitam illatas *cum iis, quae in S. Cyrilli hiſtoria a Bailleto exarata (d) leguntur, facile erit conſtituere, Criticum iſtum magis, quam Metaphraſtes, Paraphraſibus indulſiſſe,* mi-

(a) Ib. in fin. pag. 122. col. 2.
(b) §. VI. pag. 122 ad 125.
(c) Cit. pag. 125. col. 2.
(d) IX. Febr. pag. XV.

Digitized by Google

minuſque archetypi veſtigiis inſtitiſſe, ut adeo ad rem ſcripſerit Bollandus: (*a*) Metaphraſtis additiones hujuſmodi eſſe, *ut pauculis ad attentionem conciliandam, aptiuſque connectendas periodos interjectis*, reliqua intacta reliquerit; quod ipſum Cl. etiam Tillemontius effecit, cum hoc tamen diſcrimine, quod laudatus Scriptor (*b*) *Narrationi ſuae, etſi autographae, additiones interſerit, tamen adhibita cautione, ut a genuino orationis contextu, quod adſcititium eſt, ſecernat, & in ora Libri, Scriptoris, quo utitur, nomen ſeponat; haud raro etiam nonnulla ingenio ſuo compacta hiſtoriis attexat*; uncis claudendo, ut lector animadvertat, *ea ad monumenti illius partes non pertinere*. Metaphraſtes vero minus providus, bona tamen fide, imo ſuae ſinceritati confiſus, tantam diligentiam utique neceſſariam, aut neglexit, aut tamquam faſtidioſam, importunamque non adhibendam putavit. Atque haec pro Metaphraſte afferenda operae pretium duxi. Scio fore pleroſque, qui me arguant, quod cocta recoquere non dubitaverim, ſed malo me ita redargui, quam Metaphraſten tamquam putidum fabulatorem traduci, ne lectoribus minus cautis fucus fiat, & cum Metaphraſten audiunt, nullam ei adhibendam eſſe fidem arbitrentur.

XXXI. Quamobrem jure mihi videtur ex dictis haec conſequi debere. I. Metaphraſti, non ſecus ac reliquis Scriptoribus Eccleſiaſticis fidem non eſſe negandam, niſi aperte, & liquido conſtet ex certis, indubitatiſque monumentis, eum falſum eſſe, vel oſcitanter, vel amanuenſium opera; aut Acta ab ipſo relata, vel compoſita, eſſe interpolata. II. Licet pleraque in Metaphraſte de Vita S. Nicolai Myrenſis minus probanda Clariſſimis Criticis deprehendantur; nulla tamen adeſt ratio ſufficiens, cur omnia ab ipſo commenta eſſe, arbitrandum ſit. III. Et conſequenter *fundus* ipſe hiſtoriae Vitae ejuſdem Sancti verus eſt; in ſumma, Miracula quaedam paululum rariora, a quibus, qui Critici audire malunt, quam Vitarum Scriptores, multum ab-

E 2 hor-

(a) Tom. 1. Jan. Praefat. pag. XVIII. col. 1.

(b) Apud P. Honor. loc. cit. pag. 126. col. 2.

horrent, neque neganda, neque pro certis habenda. Nemo, enim, ut puto, adeo Criticus eſt, ut ſi Chriſtianus re, & nomine ſit, modum Divinae Omnipotentiae definire velit. IV. Ac tandem quoniam Metaphraſtes a S. Methodio, & Leone VI. Imperatore, ſeu mavis S. Andrea Cretenſi, quo ad *fundum* hiſtoriae S. Nicolai nihil differt; conſequitur non magis illis, quam huic fidem habendam eſſe, praeſertim quod etiam Metaphraſtes a Graecis die 28. menſis Novembris colatur (a); cujus Officium a Pſello Juniori fuit compoſitum; & Andreas Archiepiſcopus Rhodi, ſive Coloſſenſis in ſeſſione VII. Concilii Florentini habita Ferrariae die 25. Octobris, dum de verbo *Procedere* contra Graecos agit, & *Primum*, (ſcribat) *legatur ille, qui a vobis quotidie legitur in Eccleſiis Simeon, inquam, Metaphraſtes, habetis vitam S. Dionyſii, cet.* Tantae hic Scriptor auctoritatis, atque exiſtimationis erat apud Graecos, ut non ſolum in Eccleſiis quotidie legeretur, ſed primus in teſtem adducatur, ad probandum apud Graecos Scriptores, neque novum, neque inſolens eſſe verbum *Procedere*, nimirum Spiritum Sanctum a Filio *procedere*: quod certe numquam feciſſet Archiepiſcopus Rhodi, ſi aut nullae fidei, aut parum accuratum Scriptorem apud Graecos Metaphraſten haberi, ſuſpicio aliqua ſubeſſet.

CAPUT V.

Ex aliis monumentis, quam ex vulgatis S. NICOLAI *Myrenſis Actis, Ejuſdem aetas Pinarenſi antiquior eruitur, nimirum ex Templo in ejus honorem a Juſtiniano Imperatore erecto, atque ex Statione, & Diaconia, tempore S. Gregorii I. Romae ſub titulo S.* NICOLAI *in Carcere exiſtente.*

XXXII. Quae hactenus ad examen revocavimus Acta S. Nicolai a S. Methodio, S. Andrea Cretenſi, ſive Leone Sapiente, ac Metaphraſte conſcripta, aperte cuique oſtendunt,

(a) Pagius ad an. 975. nu. x.

dunt, S.Nicolaum *Metropolitam* fuiſſe Myrenſem, ac multo antiquiorem Pinarenſi Epiſcopo (ſi umquam is extiterit) alioque tempore, quam quo putat Cl.Falconius, floruiſſe.Operae nunc pretium eſt ad alia properare, iiſque liquido, quantum res tam ſpiſſis obvoluta tenebris ſinit, demonſtrare: Acta jam vulgata, quae undique Cl. Falconius exagitat, eſſe h.m., ut fidem,qualem ceterae probatae hiſtoriae habere poſſunt, jure mereantur. Ac primo Templum a Juſtiniano Imperatore in honorem S.Nicolai erectum tam aperte *Syſtema Falconianum* funditus evertit, quam quod maxime. Qui enim fieri potuit, ut Juſtinianus Imperator, (cui (*a*) Flavius Anicius Juſtinus II. Juſtiniani ex Sorore Vigilantia Dulciſſimi Uxore Nepos, ſucceſsit anno 565.) Templum aedificarit in S. Nicolai Epiſcopi Pinarenſis honorem, quum is ex ipſo Falconio anno 551. diem objerit extremum? Viderat id laudatus Falconius; ſed vir ingenio, atque eruditione pollens, animum non abjecit, ſed difficultate ipſa fortior evaſit. Quum enim apud Procopium legiſſet Templum illud SS. Priſco, & Nicolao fuiſſe aedificatum; inter nomina vero quadraginta Martyrum Sebaſtenorum ſub Licinio Priſcum quoque, & Nicolaum recenſeri: *gloriabundus*, ut ejus verbo utar, rem confeciſſe ſe jactat; ac S. Nicolao Martyri, non Nicolao Epiſcopo Templum illud fuiſſe erectum aperte ſe demonſtraſſe, contendit. Sed utrum ita, ut ipſe arbitratur, res ſit, bona fide videamus.

XXXIII. Primum autem Tillemontius, & Bailletus (*b*) S.Nicolao Myrenſi medio fere ſexto ſaeculo Templum illud fuiſſe dedicatum ex Auctoribus infra laudandis aperte ſcribunt. Sane Cl. Cangius tradit (*c*): *Sancti Nicolai Ædes verſus Blachernas* memoratur apud Auctorem Chronici Alexandrini in Heraclio pag.904.906.Edit.Reg.qui incendio eam abſumtam ab Avaribus narrat. Idem etiam ſtatuitur ab Anna Comnena pag.294., neque alia videtur ab ea, quam SS.Priſco, & Nicolao excitaſſe Juſtinianum, ſcribit Procopius lib.I.cap.VI.Quippe cum ad *Bla-*

(a) Patarol. pag. 62. ſeq.
(b) Apud Falcon.pag.61.n.3.,& 65.n.4.
(c) In Comment. Cpol. Chriſt.num. LXVIII.Edit.Venet.1729.tom.24.pag. 89. 90.

Blachernas, & apud eumdem ſtatuatur: (*Vide Menaea VI. Novembris*; (*Decemb.*) *Lambecium lib. IV. de Biblioth. Caeſarea pag.*123. & *Notas noſtras ad Alexiad. pag.* 359. *Edit. Reg.*)
Chronicon autem Paſchale ad ann.626.in Heraclio (ſub quo
vixiſſe ultimum ejuſdem Chronici Auctorem notat Bailletus
apud Falconium) haec habet (*a*)„ *Sed & Armenii* (qui in Ci-
„ vitate erant) *ex Blachernarum* muro egreſsi, ignem in Por-
„ ticum, quae Ædi S.Nicolai adjacet, immiſerunt. Cumque
„ Sclavi, qui ex trabariis in mare natandi gratia ſe demiſe-
„ rant, Avares eſſe, qui ad mare ſtationem haberent, ex igne
„ conijcerent, huc venere, ubi ab Armeniis ſunt *interfecti, cet.*
Poſt Avarum vero diſceſſionem ſubdit „ *Manſerunt die Veneris*
„ *extremi agminis* (Avarum) cuſtodes equites circa loca proxi-
„ ma Moenibus. Eodemque die in multa ſuburbana uſque ad
„ horam ſeptimam immiſſo igne, receſſerunt: incenſis praete-
„ rea Æde SS.Coſmae, & Damiani, & Eccleſia S.Nicolai,
„ *lociſque circumjacentibus,cet.* „ Ubi vides, Templum idem a
Juſtiniano SS. Priſco, & Nicolao dedicatum, atque ab Avaribus
crematum (quoniam aliam S.Nicolai Eccleſiam ad *Blachernas*
extitiſſe numquam ab Hiſtoricis, quod ſciam, memoriae proditum) ſolius Nicolai nomine indicari, nulla S.Priſci mentione habita, quemadmodum Tillemontius, & Bailletus obſervarunt (*b*). Hanc vero eamdem Eccleſiam fuiſſe Nicolao Antiſtiti Sacram luculenter tradit Anna Comnena Alexii Graecorum Imperatoris,& Irenis Filia, quae anno 1130. claruit,lib.X. Alexiad. (*c*) : *Inde* (ſcribit Anna) *adeo confidentiſſimo incepto Portae, quae Palatio ſubjecta eſt.*, *ignem admovere conabantur* (Galli, ſive Latini) *ſitae prope Templum olim ab Imperatoribus extructum Maximi inter Sanctos Antiſtites Nicolai*. Quae poſtrema verba non obſcure indicant, loqui heic Annam de eodem Templo ab Avaribus crematum; illudque Imperatorum munificen-

(a) Tom.IV.Hiſt.Byzant.pag. 315. & 326.Edit.Venet.

(b) Diſſimulare heic inutile eſt, Cl. Cangium in not.ad Alex.lib. II.pag.31. Edit.Venet.ſcripſiſſe: *Forte Ædem S.Nicolai in domo Baſilidis Patricii extructam, ad Blachernas extitiſſe*. Sed cum vir Cl.eam eſſe item tradat, de qua Anna Comnena lib.x. heic mox laudanda, loquitur: id memoriæ ἁμάρτημα (*lapſum*) eſſe, attendenti patebit.

(c) Hiſt.Byz.Edit.Ven. pag.233.

ficentia fuiſſe conditum, ita aperte demonſtrant, ut ejuſdem Templi alios, quam Imperatores, Auctores excluderet. Sed Cangium audiamus, qui ad hunc Annae locum ſcribens: (*a*) *Portae*, inquit, *Palatii, non Magni, quod ad Propontidis littus extitit, ſed Blacherniani, quae a vicino Palatio Blachernianа dicta fuit, ut ſupra obſervatum. In eo enim tractu verſus Coſmidium, & Argyram paludem caſtra poſuiſſe Gallos tradunt Scriptores omnes.* Tum ſubdit idem Cl. Auctor: *Proinde Ædes D.Nicolao Sacra, quam Portae Blachernianae vicinam fuiſſe Anna indicat, alia prorſus fuit, ab ea, quam intra magni Palatii ambitum, atque adeo Sophiano Templo proximam, diximus ad pag.46. Hanc DD. Priſco, & Nicolao primitus Sacratam extra Urbem ad Blachernianum murum a Juſtiniano inſtauratam* (potius *aedificatam* ex Procopii loco infra num.XXXIV. afferendo) *docet Procopius Lib.1.de Aedif. Juſtinian.* Poſtmodum conflagraſſe, Heraclio Imperatore, ignem immittente Avarum Chagano, tradit Chronicon *Alexandrinum.* Ex Codino etiam refert idem Cangius (*b*): *Ædem aliam S.Nicolai a Baſilide Patricio, & Quaeſtore tempore Juſtiniani Imperatoris in propria domo aedificatam fuiſſe.* Quemadmodum ipſe quoque Tillemontius apud Falconium adnotavit. De Eccleſia vero Templo Sophiano proxima haec tradit eadem Anna Comnena (*c*): *Matronae vero ad S.Pontificis Nicolai Templum veniunt, quod Refugium etiamnum ſolent appellare, prope magnam Eccleſiam dudum erectum ad ſalutem, & tutelam eorum, qui deprehenſi eſſent in criminibus, velut magni iſtius Templi pars quaedam de induſtria, ni fallor, in illum ipſum aſyli uſum paratum a priſcis Imperatoribus, qui magna indulgentia regere ſibi ſubjectos, & quaerere cauſas parcendi peccantibus conſueverant, cet.* Ad quem locum Cangius in Notis (*d*) animadvertit, hanc Eccleſiam a Baſilio Macedone fuiſſe conditam, idque ex Scylitze, Pachymere, Codino, aliiſque Auctoribus ſatis perſpicue probat. Quae certe omnia, ſi aequa rationis lance penſitentur, manifeſte quiſque deprehendet, Hiſtoricos Ec-

cle-

(a) Ibi nu.XIX.

(b) Ad Lib.II.Alex.cit.pag.31.de Baſilide Patricio. Vide Procop. lib. 1. de Bello Perſico cap.24.pag.270.Edit. Venet.tom.1.Hiſt.Byzan.

(c) Lib. II. Alexiad. pag. 46. Venet. Edit.

(d) Pag. cit. 31.

Digitized by Google

cleſiam a Juſtiniano Imperatore aedificatam, *S. Nicolao Myrenſi fuiſſe Sacram agnoviſſe, nullumque inveniri, qui de alio Nicolao cogitaverit*. Quod certe magno eſt nobis argumento, ut dicamus, purum, putumque Cl. Falconii commentum eſſe, quod de S. Nicolao Martyre Sebaſteno in medium protulit, cujus nulla umquam celebritas ad cujuſpiam aures pervenit. Eo vel maxime, quod licet ad nos uſque Liturgia S. Joannis Chryſoſtomi intacta non pervenerit; quoniam Graecorum poſteri plurima addere ſunt auſi, ut animadvertit Cl.P.Goar.(*a*): cum tamen in ea S.Nicolai Myrenſis memoria fiat, neque definiri poſsit, quo id primum tempore factum fuerit; nulla vero S. Nicolai Martyris Sebaſteni: magno id certe eſt argumento, de hoc poſtremo S.Nicolao numquam cogitaſſe Graecos, tantum abeſt, ut Templa in ejus honorem ab iiſdem fuerint aedificata.

XXXIV. Deinde licet inter quadraginta Martyres illos nomina etiam Priſci, & Nicolai ſint deſcripta: id tamen non ita certum eſt, ut nulla dubitatio ſuboriri poſsit: Etenim in admonitione Cl. P. D.Ruinartii in Homiliam S.Baſilii Magni de iiſdem Martyribus (*b*) nu. 1. ubi deſcribuntur eorumdem nomina, *prout a Bollandianis ex Editis, & MSS. Codd. inter ſe collatis referuntur*, legitur: *Nicolaus, aliis Michallius*. Atque addit idem D.Ruinartius: *Varie item in variis Codd. haec nomina deſcripta ſunt*. Inter dubia igitur, atque incerta recenſendum eſt, unum e quadraginta Martyribus *Nicolaum* vocatum. Quis autem perſuaſum ſibi habere poterit, Templum Martyri ſub certo *Nicolai* nomine dedicari, cujus tamen nomen incertum ſit; & viciſsim incertum eſſe Martyris Sebaſteni nomen, cui tamen Templum ſub certo *Nicolai* nomine jam erat Sacrum? Cum igitur ex magnae fidei Scriptoribus conſtet, celeberrimum fuiſſe ea tempeſtate Nicolai nomen, in cujus honorem Templum a Juſtiniano Imperatore fuit erectum; de Martyre vero Sebaſteno incertum ſit, utrum *Nicolaus* vocaretur: luculenter apparet, nullo pacto potuiſſe huic Martyri eam Eccleſiam dedicari. Atque his maxi-

(a) Goar. In obſerv. Ritual. cet. a pag. 95. Edit. Venet. 1730.

(b) Ruinart. In Act. prim. Mart. Sinc. pag. 521. Edit. Amſtel. 1713.

ximum rationis pondus Procopii id narrantis verba addere quidem videntur. Scribit enim (*a*): *Poſt Sanctis Priſco, ac Nicolao novum Templum aedificavit: quod frequentare gaudent Byzantii partim cultu, & admiratione Sanctorum praeſentium, partim voluptate illecti, quam ex aſpectu capiunt concinnitatis Templi. Scilicet Imperator, illata vi maris fluctibus, in alto procul fundamenta jecit, quibus Ædem impoſuit.* Ad quae verba duo animadvertenda arbitramur. I. Byzantios hujuſmodi Templum frequentaſſe ob Sanctorum praeſentiam, quorum, inquit Tillemontius (*b*), ut videtur, aliquas reliquias ibi Imperator Juſtinianus collocari fecit. Quamquam Sanctorum praeſentia etiam de eorum in Templo Statuis, vel Imaginibus explicari commode poteſt, niſi de Patrocinio, quo Sancti praeſentes ſunt, intelligi velimus. Id ipſum etiam repetit Bailletus. II. Sanctos Priſcum, & Nicolaum ſatis celebres apud Byzantios fuiſſe. Jam vero S. Baſilius in laudata Homilia (*c*) ſcribit: „ Cum vero primum
„ illuxit, adhuc ſpirantes igni traditi ſunt, ac Cineres in flu-
„ vium projecti, ut per omnem Creaturam eorum tranſiret
„ certamen. In terra primum exerciti, deinde in aëre ſub dio
„ duravere: poſtremo igne crematos aqua excepit. „ Imo inferius addit: „ *Unius* (hunc Melitonem Acta appellare notat ibid.
„ D. Ruinart. ad calc.) *illorum Mater*, videns reliquos gelu jam
„ conſummatos, ſuum vero filium ob vires aliquantulum va-
„ lidiores, & adverſus dura conſtantiam adhuc ſpirantem; &
„ cum Lictores ipſum relinquerent, ut qui poſſet nonnihil
„ conſilium mutare: ipſum propriis accepit manibus, ac cur-
„ rui, in quo reliqui jacentes ad pyram ferebantur, impoſuit
„ Martyris vera Mater. „ Ut adeo ita permiſte fuerint igni hi Martyres traditi, eorumque Cineres in fluvium projecti, ut ſi quid ex eorum vel Cineribus, vel reliquiis aliis aſſervatum, nemo certe illos, vel Melitonis, vel Eutychii, vel Nicolai eſſe aſſerere potuerit. Vero igitur ſimile numquam eſſe poteſt, Juſtinianum Martyri Nicolao (qui tamen incertum eſt, utrum hoc nomine ſit donandus, n. XXXIII.) Templum dedicaſſe, ejuſque reli-

 quias

(a) Procop. lib. 1. tom. 2. de aedif. Juſtin. cap. VI. pag. 403. Edit. Venet. 1729.

(b) Tillemont. loc. cit.

(c) Apud eumdem Ruinart. pag. 527. n. VI.

quias (ſi verum eſt quod Tillemontius, & Bailletus ſcribunt) in eodem collocari juſſiſſe. Quae omnia ex eo etiam robur accipiunt, quod Templa non in unius e quadraginta, ſed *in Omnium honorem* fuerint conſtructa. *Brevi* (inquit D.Ruinartius in citat. admonit. num. 2.) *poſt horum Martyrum* nec- „ cem Eccleſiae variis in Provinciis in eorum honorem con- „ ſtructae ſunt: *Unius*, quae Caeſareae in Cappadocia extabat, „ meminit Sanctus Gaudentius Brixienſis Epiſcopus; & Mo- „ naſterii Sacrarum Virginum, cui Baſilii Magni neptis praeerat. „ Ab ea cum Sanctus Antiſtes in itinere Hieroſolymitano ali- „ quid ex Sanctorum Martyrum reliquiis accepiſſet, domum „ reverſus, Brixiae novam Eccleſiam conſtrui curavit: ad cu- „ jus dedicationem comprovincialibus Epiſcopis congregatis „ egregiam Homiliam habuit in XL.Martyrum honorem, ubi „ breviter eorumdem paſſionis feriem exponit. *Alterius* item „ Eccleſiae apud Nyſſam Cappadociae Urbem conſtructae me- „ minit Sanctus Gregorius Nyſſenus, qui de iiſdem Martyri- „ bus tres egregias orationes habuit. De Palatio, & Baſilicis, „ quae ſub eorumdem Martyrum nomine Conſtantinopoli ex- „ tabant,* vide eruditi Cangii lib. 4.CP.Chriſtianae. De quibus, „ & aliis cum Romae, tum alibi conſtructis, agunt etiam „ Bollandiani ad diem 10. Martii. Porro his Baſilicis conſtruen- „ dis occaſionem praebuerunt horum Martyrum Sacrae Re- „ liquiae: *Quae*, teſte Gregorio Nyſſeno, *in orbem terrarum* „ *ita diviſae ſunt, ut ferme quaelibet Provincia benedictionem* „ *inde participet:* Tanti vero eas faciebat idem Gregorius, ut „ ſuorum Parentum corpora juxta ipſas ſepeliri fecerit, *ut* „ inquit, *tempore Reſurrectionis cum Opitulatoribus ſpe*, *&* „ *fiducia pleni* = reſurgerent = *Sanctorum Martyrum Sebaſteno-* „ *rum, qui eodem cum Petro Sebaſtae, itidem Epiſcopo, vixerunt* „ *tem-*

* Anonym. Auct.antiquit.Cpolitan. lib. 1. pag. 26. Edit. Ven. Tom. XXV. Hiſt. Byzan. : *Ædes SS. Quadraginta Martyrum antea prætorium extiterat. Tiberius vero Thrax, cum uxore Anaſtaſia, eductis hinc, qui carcere detinebantur, loco prius purgato, ac dimenſo, ex eoque ejectis materiis, fundamenta ad quatuor cubitos eduxit. Tiberio autem vita functo, Mauricius ejus gener Imperio potitus Ædem Sacram abſolvit, ac dedicari curavit* = Et lib. 2. pag. 30. *Templum SS. Quadraginta, quod eſt ad Thermas Conſtantinianas, Anaſtaſius, & Ariadna ædificarunt.*

„ *tempore*, meminit idem Gregorius Nyſſenus in Epiſtola ad „ Flavianum Epiſcopum, qui iidem videntur eſſe, ac noſtri „ XL. Martyres. Eorumdem Martyrum aliquot Reliquiarum „ inventionem, quae Conſtantinopoli contigit ſub Theodoſio „ juniore, narrat Sozomenus lib.9.Hiſt.Eccleſ. cap. 2. quae a „ Pulcheria Auguſta in pretioſiſſimam thecam incluſae juxta „ Corpus Sancti Martyris Thyrſi repoſitae ſunt, publica feſti- „ vitate, ut par erat, ea de cauſa celebrata, cui ſe interfuiſ- „ ſe idem Sozomenus aſſeverat. Ejuſdem Inventionis,& Baſi- „ licae a Caeſario Conſule, & Praefecto extra muros Troa- „ denſes conſtructae meminit Auctor Chronici Paſchalis ad „ ann. 451.

XXXV. Praeterea animadvertendum Cardinalem Baronium (*a*), cui adſtipulatur Morerius apud Falconium (*b*), obſervaſſe, Eccleſiam S. Nicolao a Juſtiniano Imperatore aedificatam, fuiſſe deinde a Baſilio Auguſto reſtitutam, idque Auctore Cedreno, laudatus Cardinalis tradit. Profecto Cedrenus ſcribit (*c*): „ *Idem Baſilius* multa Templa terremotibus ſuperiorum tempo- „ rum rupta,& concuſſa refecit, quaedam etiam prorſus pro- „ ſtrata inſtauravit:aliis ornamenta, & elegantiam addidit..... „ Inſtauravit,& Templa Palatina Servatori Chriſto, Michaëli „ Angelorum Principi,& Eliae Vati dedicata,& Deiparae, ac „ *NICOLAI inter Proceres Eccleſiaſticos celeberrimi*, quod novam „ nominant Eccleſiam,inſuperabili pulcritudine exornavit, redi- „ tibus ad lucernas,& neceſſitates doctorum ſufficientibus *ditatam*, *cet*. Ubi Cl. P. Goar.Xylandrum interpetrem carpit, ſcribens (*d*): *Ad neceſſitates non Doctorum, ut Xylandro placet, ſed eorum, qui laudes divinas perſolverent*. Unam autem eamdemque fuiſſe Eccleſiam a Juſtiniano primum aedificatam, a Baſilio vero deinde reſtitutam, quemadmodum Cardin. Baronius, & Morerius obſervarunt, multa quoque dilucide ſuadent. I.Nulli negotium faceſſere debet, quod Cedrenus referat, Baſilium Templa *Palatina* inſtauraſſe; ideoque S.Nicolai Eccleſiam inter *Palatinas*,

 ſive

(a) Baron.in not.ad Martyr.Rom.ad VI.Decemb.

(b) In Proleg. pag. 67 c. 3. num. 1.

(c) Cedren.compend.Hiſt.tom.2.p.2. in Baſil. pag. 460. 461. Edit. Ven. tom. VIII. Byzant.Hiſt.

(d) In not. poſter. pag. 47.

ſive ad Palatii ambitum, non ad *Blachernas*, extitiſſe. Valde vero enim ſimile eſt, inſtauratum illud Templum a Baſilio, narrare Cedrenum, quod ab eodem Imperatore conditum eſſe ſupra(n.XXXIII.)liquido oſtendimus.II.Poſſe*Blachernianum*Templum etiam *Palatinum* vocari ex eo facile deducitur, quod Auctore Cangio(cit.n.XXXIII.) etiam ad *Blachernas* Palatium extiterit; ac diſerte ſcribat Petrus Gyllius (*a*): *In Blachernis Regium Palatium fuiſſe, etiam nunc aetate Zonarae, atque multo infra uſque ad Manuelem Regem ex Hiſtoria liquet Recentiorum*. III. Ad haec Tillemontius apud Falconium animadvertit praeter Templum a Juſtiniano aedificatum tres alias Cpoli S.Nicolai Eccleſias extitiſſe.Cum autem Una extiterit in domo Baſilidis Patricii, & Quaeſtoris (cit.nu.XXXIII.); Alia fuerit ab eodem Baſilio Imperatore condita(cit.nu.XXXIII.); Tertia tandem a quodam Anglo fuerit extructa; ac SS. Nicolao, & Auguſtino Cantuarienſi (*b*) dicata poſt expugnatam a Willelmo Noto Angliam, quod contigiſſe anno *1066*. P.Petavius in Rat.Temp.luculenter tradit; harum vero trium Eccleſiarum prima inter *Palatinas* numerari non poſſit; ſecunda a Baſilio, ut praedictum eſt, fuerit condita; Tertia tandem ſaeculo XI.longo ſatis poſt Baſilium annorum intervallo fuerit aedificata; reliquum eſt ut dicamus, Eccleſiam a Baſilio reſtitutam eamdem fuiſſe, quam Juſtinianus Imperator primum aedificavit. Scio praeter heic enumeratas Eccleſias aliam extitiſſe extra Urbem Cpolit.*Molibotum* dictam, in

qua

(a) Gyll. de Topograph. Cpol. lib. IV cap. V.pag.296. Edit. Lugdun. Batav. 1632.

(b) Cangius lib. 4. Cpol. Chr. n. LXX. ex Gotcelino Monacho, qui in libello de Mirac. laudati S. Auguſtini cap. XXIX. apud Mabillon. ſaec. 1. Bened. ad ann. 607. pag. 542. ſeq. Edit. Ven. ſcribit. *Primo ex Normandis Regnatore Angliae Willelmo Angliam capiante vir honorificus de Curia & nutritura B. Auguſtini cum multis Optimatibus Patriae profugis Cpolim tranſmigravit, tantamque gratiam apud Imperatorem, & Imperatricem, ceteroſque potentes obtinuit, ut ſuper ſapientes Milites, multamque partem ſociorum Ducatum acciperet, nec quiſquam advenarum ante plurimos annos tali honore profecerit. Duxit uxorem nobilem, & opulentam, memorque beneficiorum Dei in honorem B. Nicolai, ſanctique Patroni ſui Auguſtini conſtruxit Baſilicam domui ſuae contiguam, & utriuſque Sancti, id eſt, B. Auguſtini ab Auſtrali, & B.Nicolai ab Aquilonali latere, quam formoſe depingi fecit Iconiam,cet.*

qua humatus Conſtantinus Ducas, ut tradit Cangius (*a*), idque ex Scylitze (*b*), qui ſcribit: ***Sed per mare ductus in Monaſterio S.Nicolai, quod Molibotum vocatur, ſitus eſt, cet.*** Sed id tamen vim argumenti non infringit. Neque enim haec Eccleſia inter ***Palatinas*** ullo pacto numerari poteſt , & fortaſſis Baſilii Imperatoris tempore nondum erat extructa. Conſtantinus namque Ducas Imperium accepit anno 1060. obiitque anno Imperii 8., ut ex Scylitze, Manaſſe, Zonara tradit Patarolus; Baſilius vero Macedo Imperium obtinuit anno 867., ut ex eodem Patarolo apparet. Ut adeo conjicere poſſimus ex domo Baſilidis Patricii, & Quaeſtoris procedente tempore Monaſterium conſtructum. (*c*) Sed quaecumque capiatur conjectura, illud certe manifeſtum eſt, hanc eamdem non eſſe Eccleſiam, quam Baſilius inſtauravit. Quod ſi haec cuiquam ſatis non faciant, tum Graeca Cedreni verba attente perpendat velim, ut pervidere dilucide valeat, Templa Deiparae, ac Nicolai ab Hiſtorico inter ***Palatina*** non enumerari. Primum enim ſcribit Cedrenus: *Ἀνήγειρε δὲ καὶ ἐκ καινῆς ἐν ταῖς Βασιλείοις αὐλαῖς εἰς ὄνομα τοῦ δεσπότου Σωτῆρος Χριστοῦ, καὶ τοῦ πρώτου τῶν* Ἀγγέλων Μιχαήλ, καὶ Ἡλίου τοῦ Προφήτου, quae ad verbum Latine ſonant: *Excitavit etiam de integro* (Templa) ***in Regiis Aulis in nomen Domini Salvatoris Chriſti, principis Angelorum Michaëlis, atque Eliae Prophetae.*** Deinde ſubdit: *ἔτι δὲ καὶ τῆς Θεομήτορος, καὶ Νικολάου τοῦ περιωνύμου ἐν ἱεράρχαις*: ***praeterea & Deiparae, & Nicolai celeberrimi inter Praeſules.*** Si enim inter Palatina haec duo poſtrema Templa numerare voluiſſet, id oratione non interrupta certe perfeciſſet Cedrenus. Quamobrem Templa ***Deiparae***, & ***Nicolai***, quae heic laudatus Hiſtoricus commemorat ad ***Blachernas*** fuiſſe dicendum eſt, ut quae ſeparatim a prioribus recenſentur. Et re quidem vera ad

Bla-

(a) Cang. in not. ad Alex. lib. 11. cit. pag. 31.

(b) Scylitze tom. VIII. Hiſt. Byzant. pag. 639. Edit. Ven.

(c) In Indice Epiſcoporum Mediolanenſium apud Mabillonium in Muſ. Ital. tom. 1. p. 2. pag. 113 Lutet. Pariſ. 1724. legitur: *Venerabilis memoria Anſelmus Archiepiſcopus ſed. ann. III. & mens. X. & dieb. XXVIII. ob. II. Kal. Octob. ſepultu. eſt Cpoli, ut peregrinus in Monaſterio S. Nicolai.* Utrum hoc Monaſterium ſit idem illud, in quo humatus Conſtantinus Ducas, videant Eruditiores.

Blachernas Templum B. Virginis Mariae extitiſſe. Auctor eſt Chronicon Paſchale ad ann.627., ubi legitur: *XV.anno Heraclii Imperatoris excitatus eſt murus extra Blachernas, Aedeſque SS.Dei Genitricis una cum Sacra Arca intra Urbem incluſa eſt; erat enim antea extra moenia*. Cui accedit Petrus Gyllius(*a*): *quem* (Juſtinianum)*Procopius ſcribit aedificaſſe Templum, Virginis Mariae ante moenia Urbis, in loco appellato Blachernis. Miretur hoc Templum*, inquit, *ingreſſus, ingentem quidem molem citra ullum periculum conſtitutam, cernens ipſam magnificentiam ab omni inſolentia alienam. Puto Juſtinianum hoc Templum refeciſſe. Nam Zonaras tradit Pulcheriam Marciani Uxorem Templum in Blachernis aedificaſſe, & Mariae Virgini dedicaſſe.* Certe extitiſſe ad *Blachernas* Eccleſiam Santiſſimae Virgini Deiparae Sacram anno 787. quo Concilium Nicaenum II.celebratum fuit, ex ejuſdem Actione IV.clariſſime deducitur: *Elias*, inquit, *reverendiſſimus presbyter* (ad marg.nota * *primus presbyter*, & recte quidem, Graece enim eſt: *πρωτοπρεσβύτερος*) *Sanctae Eccleſiae Dominae Noſtrae Dei Genitricis in Blachernis ſitae, legit ex charta, cet.* (*b*). Quae omnia ſi vera ſunt, ut vera eſſe quiſque, ni Falconianus ſit, certe fatebitur, manifeſte inde conſequitur, purum, putumque Falconii commentum eſſe, quod Eccleſia a Juſtiniano Imperatore fuerit S. Nicolao Martyri Sebaſteno dedicata. Etenim ex praedictis Templum a Juſtiniano SS.Priſco, & Nicolao extructum unum idemque eſt, atque illud, quod Baſilius Auguſtus inſtauravit; perſpicue vero ex Cedreno conſtat, Baſilium Eccleſiam S. Nicolai inter *Proceres Eccleſiaſticos celeberrimi* inſtauraſſe; Nicolaus autem Martyr Sebaſtenus celeberrimus inter Proceres Eccleſiaſticos vocari non poteſt, quod ejus nomen vix notum ſit, imo inter incerta ſit referendum (num.XXXIV.), neque Epiſcopali fuerit dignitate inſignitus. Cui certe rei mire favent S.Baſilii Magni in laudata Homilia n.II.verba: *Hi*, inquit, *magnitudine corporis, & aetatis flore, ac virtute ceteris omnibus praecellentes, ad militares ordines*

(a) Gyll.loc.cit.pag.294.Vide.quip. Guid. Pancirol. ad Calc.Gyll.pag. 418. cit. edit.

(b) Tom. 8. Concil. Edit. Ven. Columna. 882.

Digitized by Google

dines regendos promoti ſunt, & praeter rei militaris peritiam, animique fortitudinem primos honores apud Imperatores obtinebant. Quod ſi Falconius velit, Cedrenum (idem dicito de Anna Comnena, quae Saeculo XII. floruit. Vid. n.XXXIII.) *utpote qui Saeculi XI. fuit Auctor*, falſum fuiſſe, dum de S. NICOLAO Epiſcopo intelligit, quod Martyri Sebaſteno eſt tribuendum, heic ego animadverto, quod eo tempore, quo ſcribebat Cedrenus, conſtans erat traditio, illud Templum NICOLAO inter Proceres Eccleſiaſticos celeberrimo fuiſſe 'a Juſtiniano erectum; ſecus enim fieri nullo poſſe modo contendo, ut Templum Martyri primum Sebaſteno dedicatum, temporis progreſſu, nulla amplius Martyris mentione facta, Epiſcopo NICOLAO dedicatum credatur. Quis namque perſuadere ſibi poterit, ut gens, populus, docti, indoctique Sanctum Sancto ſubſtituant, Templum modo uni, modo alteri Sancto dedicatum aſſerant, quin nulla apud Hiſtoricos erroris hujus appareat origo? Credat per me licet id Falconius; ego tamen neque credam, neque alios id credituros arbitror. Quod ſi haec vera ſunt, ut vera eſſe putandum eſt, fortaſſis neque S. Priſcus erit Martyr Sebaſtenus. Profecto die 20. Septembris colitur apud Graecos S. Priſcus Martyr, de quo in Menologio Baſilii ad dictum diem, colitur etiam eodem die apud Latinos, atque in notis ad Martyrolog. Rom. ſcribit Cardinalis Baronius (*a*): *De eo Graecorum Menologium pluribus: ejus enim ad Chriſtum converſionem, & martyrium egregie conſummatum deſcribunt. De eo item Galeſin. in ſuo Martyrol. ex iiſdem Graecorum fontibus* (*b*). Memorantur, & alii Martyres ſub nomine Priſci in

(a) Baron. ad 20. Septembris lit.G.

(b In Menologio Baſilii apud Ughel. tom.10. in Anecdot. col.260. Edit.Ven. 1722. legitur: *Eodem die* (duodecimo Kal. Octobris) *certamen S. Martyris Priſci. Priſcus Chriſti Martyr Dei amore incenſus, ſummaque Baptiſmatis cupiditate flagrans, poſthabita Patris impietate, Chriſtianus efficitur. Quare longe, lateque pervigatus Chriſtum ſumma dicendi libertate, praedicare, Chriſtianorumque animos incendere, ut mortem pro Chriſti fide fortiter oppeterent: Graecorum etiam multos verbo veritatis a ſe inſtitutos baptizare. Quibus rebus concitata in ſe Idololatrarum invidia defertur ad Regionis Praefectum, quod maximis Diis contumelias imponeret, & neglectis Caeſarum Imperiis, Auctor omnibus eſſet, ut Chriſtum Crucifixum colerent, & adorarent. Quare exarſit vehementi iracundia Praefectus, vociferati-*

Digitized by Google

in Martyrologio Romano, ſed temporis ratio, non omnibus aptari poteſt; & vero magis ſimile arbitror, Juſtinianum Imperatorem S. Priſco, qui die 20. Septembris colitur, Templum aedificaſſe. (*a*)

XXXVI. Proximum huic argumentum ex Stationibus deſumitur: *Has antea vagas, vel certis Eccleſiis ſcripto non addictas in ſuo Sacramentario conſtituit, ordinavitque S. Gregorius Magnus*, ut ſcribit ex Joanne Diacono Mabillonius (*b*). Quod tamen de *Stationibus* tempore Quadrageſimae, Quatuor temporum, Natalis Domini, Paſchatis, & ſimilium, quod incertae eſſent, intelligendum monet laudatus Auctor. *Eas porro*, pergit Cl. Vir, *conſtituit paſſim in Baſilicis praecipuis* ſcil. *Patriarchalibus, & Titulis aliquando tamen in Diaconiis, & Oratoriis, cet.* Praeterea idem Mabillonius refert, Gregorium II. ſuppleviſſe *vacantes* aliquot Quadrageſimae dies, nempe in Feriis Quintis, quas *Stationes*, ne repeterentur in Titulis, in aliis Eccleſiis conſtituit. Jam vero in *Antiphonario* (*c*) S. Gregorii in Sabbato *Sitientes*, loco *Stationis S. Laurentii foris murum*, in margine notatur: *Statio* ad S. Nicolaum *in Carcere MS. Vatic.* Similiter in eodem *Antiphonario* pag. 41. Feria III. poſt Dominicam Primam in Quadrageſima adeſt *Statio* ad *S. Anaſtaſiam*, ſed ſine collecta: ad marginem vero notatur: *Collecta ad S. Nicolaum de Carcere* MS. Vat. Collecta autem neceſſaria erat, & praecedebat *Sta-*

ratique coepit, ac milites inclamare, ut quam primum nocentem Priſcum abductum torquerent. Correptus igitur graviſſime caeditur; deinde in equuleum actus excarnificatur, punctimque pugionibus langinatur, & foditur: poſtremo capite damnatus migravit ad Dominum.

(a) Quo autem tempore hic S. Priſcus floruerit ingenue fateor me neſcire. De eodem etiam agit Cl. P. Sabbatinus, nunc Epiſcopus Aquilanus, in Not. ad Kal. marmor. Neapol. ad 22. Septemb.; ſed praeter verba Menologii, quae ſupra appoſuimus, nihil de eodem habet. Imo animadvertit, neque Baronium, neque Galeſinium alia monimenta referre, quam illa Graecorum.

(b) Mabillon tom. 2. Muſ. Ital. Comment. in ord. Rom. pag. XXXII. Edit. Lut. Pariſ. 1724. Vide etiam Octav. Paneirol. *Teſori naſcoſti di Roma* pag. 38. Edit. Rom. 1625. & P. Metatum tom. 1. part. 4. tit. 12. num. 34.

(c) Edito Romae ann. 1691. ſtudio, curaque Joſ. M. Cari Praesbyt. Theol. pag. 69.

Stationem: *Proceſſiones Sollemnes*, inquit Cl. P. Mabillonius, (*a*) *praecedit Collecta*, *id eſt coadunatio Clericorum in una Eccleſia*, *ut ex ea*, *quaſi agmine facto*, *in locum Stationis procedatur*, *ſic dicta*, *quod in eo loco Clerus cum populo colligatur ad faciendam proceſſionem ſollemnem*, *cet.* In Capitulari quoque Evangeliorum part. 2. pag. 159.: *Die Sabbati ad S. Laurentium Martyr.* loquitur, *de Sabbato Sitientes*; & infra: (C. ad *S. Laurentium ad Mart.* F. ad *S. Laurentium*. S. *ad S. Nicolaum in Carcere*) Sed haec charactere minutiore. Pag. autem 140. ibid. in Indiculo legitur: *In qua*, *quae minore charactere exprimuntur*, *in vetuſtioribus Codd. vel praetermitti omnino*, *vel aliter haberi*. Cumque illa *Statio ad S. Nicolaum in Carcere* notetur littera S., ex eadem pag. 140. intelligimus ſic notari in Evangeliſtario Vaticanae Baſilicae XII. Saeculi in ejusdem Archivo num. 6. quod ipſius Baſilicae Canonicorum uſui erat. Ut inde manifeſte deducere Cl. Falconius poſſit, me bona fide agere, atque ingenue inſuper fateri, nihil ex his, quae retulimus, legi in Sacramentario S. Gregorii a Cl. Muratorio edito to. 2. *Liturg. Vet.* Sed animadvertendum eſt tamen, ibi nullam Collectarum (niſi tantum in feria IV. Cinerum ad S. Anaſtaſiam, ut videri poteſt col. 28.) fieri mentionem; quumque ex ſuperius dictis nulla ſine Collectis *Statio* eſſet; jure conijcere quis poſſet, laudatum Sacramentarium ex eo exemplari fuiſſe conſcriptum, in quo nondum a S. Gregorio diſtincta *Stationum* & Collectarum inſtitutio fuerat praeſtituta. Neque cuique negotium faceſſere debet, quod in eodem Sabbato *Sitientes* adſit *Statio* ad S. *Laurentium foris murum.* Ex Clariſs. enim Onuphrio Panvinio notat P. Beatillus (*b*), eo die *Stationem* fieri, & ad *Sanctum Laurentium*, & ad *Sanctum Nicolaum in Carcere*; quod ex eo etiam (licet heic de *Stationibus* non ſit ſermo) confirmari poteſt, quia in Ordine Romano num. x. apud Mabillonium

G

(a) Mabill. loc. cit. num. v. pag. xxxi.

(b) P. Beatil. lib. x. cap. xi. Vitae S. Nicolai.

nium (*a*) ad ea verba: *Pontifex vero ingreditur Baſilicam S.Laurentii*. Ad marginem not. (a) legitur: *Addit Codex Onufrii*, = *vel S.Nicolai*, *ſi eſt apud S.Petrum*, = & agitur ibi de Feria V. in *Coena Domini*.

XXXVII. Illud etiam huc facit, quod ſolent circa hanc rem MSS. variare. Obſervat enim ſaepe laudatus Cl. Mabillonius (*b*). *In libris Sacramentarii Gregoriani*, *quos Amalarius ſuo tempore vidit*, nullam *Stationem* aſſignari in Sabbato ante Palmas, ſed notari tantum: *Sabbato vacat* (nimirum *Statio*) *Dominus Papa eleemoſynam dat*. In Indice vero *Stationum* ab eodem Mabillonio (*c*) edito ex duobus Membraneis Codicibus Vaticanis legitur: *Sabbato Collecta ad S. Xyſtum*: *Statio ad S. Johannem in Porta-latina*. In alio Codice: *Sabbato ad S. Petrum*, *quando eleemoſyna datur*: *Collecta ad S. Xyſtum*, *cet.* ut ſupra. In laudato ſimiliter *Antiphonario* (num.XXXVI.) Romae edito, prima parte pag. 76. legitur: *Sabbato vacat quando Dominus Papa eleemoſynam dat*: ad marg. vero notatur: *Sabbato ad S. Petrum quando eleemoſyna datur*. (Ex Miſſali Oratorii Valli-cellani decimi Saec. & alio Cardinalis Syrleti, utroque membranaceo) *Collecta ad S. Xyſtum. Statio ad S. Johannem in Porta-latina* (ex MS. Vaticano). Vide & alias varietates apud laudatum P. Mabillonium, & qua ratione haec omnia componi poſſint, quod heic referre non juvat. Illud tantummodo ſedulo adnotandum, ad *Stationem* S. Nicolai in *Carcere*, licet varient MSS., certum tamen eſſe, in praefato Indice Mabilloniano tres inveniri notatas *Stationes* S. Laurentii foris *murum*, nimirum in Dominica in Septuageſima, in Dominica III. Quadrageſimae, & in Feria IV. poſt S. Paſcha. In laudato vero *Antiphonario* (num.XXXVI.) notatur in Dominica in Septuageſima, & in Dominica III. Quadrageſimae: *Statio ad S. Laurentium*, non addito: *foris murum*. At in Fe-

(a) Mabill. loc. cit. pag. 101. qui ordo ab eodem Cl. P. reputatur Saec. XI. ord. Rom. num. X. pag. LXIV.

(b) Ibid. loc. cit. in Comment. in num. XVI.

(c) Ibid. tom. 2. Muſ. Ital. pag. 544.

Feria IV. poſt Paſca legitur incluſum h.m. uncis: [ ] *ad S. Laurentium foris murum*, ut ſuſpicio mihi ſuboriatur eſſe addita ab Editore. In Sacramentario etiam Gregoriano apud Cl. Muratorium in praedictis diebus, *Statio ad S. Laurentium foris murum* legitur; quemadmodum etiam in Feria V. poſt I. Quadrageſimae Dominicam, & in *Sabbato Sitientes*. Ex quo conficitur alienum non eſſe a vero, *Stationem* in *Sabbato Sitientes*, quae in laudato Indice Mabilloniano eſt ad *S. Nicolaum in Carcere*, conſtitutam fuiſſe tempore S. Gregorii Magni. Quodipſum dicendum de Collectis: nam ibidem in Feria V. ante Dominicam I. Quadrageſimae legitur: *Collecta ad S.Nicolaum in carcere*. Quemadmodum etiam in Feria III. poſt Dominicam I. in Quadrageſima: *Collecta ad S. Nicolaum in carcere*; adeo ut his omnibus congruenter ſcripſerit Pancirolus (*a*), dum agit de Eccleſia *S.Nicolai in Carcere*, eidem Eccleſiae *Stationem* a Gregorio Magno fuiſſe addictam in Sabbato poſt Dominicam IV. in Quadrageſima, Sabbato nimirum *Sitientes*: Et verum utique ſit quod ſcribit P. Franciſcus Pagi (*b*); *Sanctus autem Gregorius certas Urbis Eccleſias ſtationibus aſſignavit, & diebus quoque Solemnioribus Stationes fieri uſque ad Sextam juſſit; atque ad has Eccleſias iſtis etiam temporibus ſtatis diebus fidelium concurſus fieri ſolet.*

XXXVIII. Robur autem haec, de quibus hactenus diſſeruimus, accipiunt ex eo; quod inter Diaconias, quae tempore S.Gregorii Magni Romae recenſebantur, illa etiam S.Nicolai in *carcere* Tulliano extiterit. Diaconiae autem ex Cl.Panvinio (*c*) *erant Sacrae Aedes, ſive Eccleſiae in Sanctorum honorem, vel memoriam dicatae, proximas domos habentes, quemadmodum aliae Urbis Baſilicae & Tituli, ſine animarum cura, cet.* De iis agens idem Cl.Vir: *Porro autem*, inquit, *XVIII. Diaconias, quae tot erant, quot erant Diaconi Cardinales, circa Gregorii Papae I. tempora inſtitui coeptas fuiſſe non levibus ra-*

(a) Pancir.Loco cit. pag. 728.

(b) Brev.Pontif.in S.Gregor.M.n.LXV

(c) Panvin. de ſeptem Eccleſ. cap. III.pag.29.& 30.edit. Rom. 1570.

rationibus perſuaſus ſum, quando etiam poſterior XXVIII. titulorum ſeries facta eſt, ſiquidem non longe poſt S. Gregorii tempora frequens Diaconiarum mentio extat, cet.; tum harum Diaconiarum numerum deſcribit, inter quas num.XI.legitur: *Diaconia S.Nicolai in carcere Tulliano*, ac demum addit: *Has vero Diaconias ſemper fuiſſe legi, & numquam vel novis additis, vel antiquis ſublatis, mutatas uſque ad Leonis X.Pontificatum, cet.* Superius autem de titulis Presbyterorum Cardinalium ſcribens: (*a*) *Omnes igitur*, inquit, *quos retuli XXVIII. titulos, quinque exceptis, poſterioribus temporibus eodem nomine praeditos extitiſſe, & ad noſtra uſque ſaecula permanſiſſe conſtat. Quinque enim illos circa tempora S. Gregorii Papae I., vel paulo ante, obſoleviſſe, tituloſque eſſe deſiiſſe, vel aliquos ex iiſdem mutatis nominibus cum his aliis quinque eſſe neceſſe eſt*, cet.Clarius vero id eruitur ex Octavio Pancirolo (*b*), qui agens de Diaconiis ſub Gregorio I. in eo, quem dat, indice nu.XIII. illam *S.Nicolai in carcere* collocat. Ne cui vero negotium faceſſat, quod haec, quae attulimus, non adeo plana manifeſtaque ſint, ut emunctae naris Criticis ſatis omnino faciant, illud ſedulo primum animadvertendum, in vetuſto Codice Vaticano apud Em.Baronium ad ann.1057.a n.XIX. legi: *Sunt praeter Titulos Diaconiae, iſque praefecti Diaconi Cardinales, dicti Regionarii, iidemque numero duodecim. Diaconiis Regionariis praefecti item Diaconi Palatini ſex.* Infra autem undecimo loco ſcribitur: *Sanctus Nicolaus in carcere*. Probe autem adnotandum eſt, Vaticanum hunc Codicem ſtatum dumtaxat Eccleſiae Romanae, quod ad id tempus attinet, exhibere, non harum Diaconiarum inſtitutionem. Laudatus enim Em. Cardinalis cit. num.XIX. *heic*, inquit, *antequam ipſam reddamus Epiſtolam* (Petri ſcilicet Damiani) *neceſſitas incumbit, ut quae eſſet horum temporum Romanae Eccleſiae forma ex ſcripto antiquo Vaticano Codice Sacrorum Rituum exſcribamus.* Et nu.XXIII.in fin. *haec de Eccleſiae Romanae hujus temporis ſtatu.* Deinde in Conſtitutione Summi Pontificis Sixti V. data Romae apud S. Petrum

(a) Idem ibid. cap. II.pag. 19.
(b) Pancirol. loc. cit. ubi de titulis agit, pag.m.36.

Digitized by Google

trum ann. Incarnat. Domini 1587. quae incipit, *Religioſa*, haec leguntur: *Ex Diaconiis quoque antiquitus inſtitutis quatuordecim magis inſignes pro totidem Diaconiis Cardinalibus ſeligere, & congrua diſtinctione confuſionem perpetuo tollere decrevimus ;* inter has autem *Diaconias* nono loco illa *S. Nicolai in carcere Tulliano* recenſetur. Cui tandem ſi addas, laudatum Panvinium, ſollertiſſimum antiquitatum indagatorem, ſcripſiſſe, ut ſuperius retulimus, *Diaconias*, inter quas illam *S.Nicolai in carcere* numerat, ſemper fuiſſe, & numquam vel novis additis, vel antiquis ſublatis mutatas uſque ad Leonis X. Pontificatum: facile inde luculenter apparet, *S.Nicolai in carcere Tulliano* Diaconiam non ſine ratione ab Octavio Pancirolo, ut praediximus, inter illas, quae S.Gregorii I. tempore exiſtebant, recenſeri; eo vel magis, quod nullum, quod ſciam, monumentum huic rei refragetur, & conjecturae non contemnendae omnino id ſuadere videantur.*(a)*

XXXIX.

(a) Scio his , quae diximus opponi poſſe , quod Onuphrius Panvinius tradiderit, Diaconias tot fuiſſe, quot erant Diaconi Cardinales; hos autem VII. tantum fuiſſe uſque ad annos Chriſti Mille, eodem Cl. Viro teſte ibidem pag. 28. Id tamen negotium nullum faceſſit. Ex eodem enim Panvinio conſtat, ſingulos hos Diaconos duabus Regionibus praefuiſſe, adeo ut conjici facile poſſit, duabus etiam Diaconiis fuiſſe praefectos; cumque prioribus ſaeculis Roma in XIV. Regiones divideretur, manifeſte patet, XIV. etiam, ſervato ſeptenario Diaconorum numero, fuiſſe Diaconias. Imo ſi vera ſunt , quae ſcribit Franciſcus Pagi in Breviario Pontificum tom. I. in S.Fabian., nimirum: *Per multa ſaecula perſeveravit, ut ſeptem tantum in Eccleſia Romana Diaconi miniſtrarent, quibus Fabianus illud muneris addidit , ut quatuordecim Urbis Regionibus praeeſſent , ſingulis binas aſſignans ; ut pauperum in eis degentium curam gererent: unde eſt nomen ex munere inditum, ut iidem Diaconi Regionarii dicerentur:* ſi vera , inquam, haec ſunt, cum S.Fabianus ſederit Pontifex ab ann. 236. ad 250., jam tum a ſaeculo III. quatuordecim ut eſſent Diaconiae neceſſe fuit. Quibus omnibus ſi addas, Cl.Cangium in Gloſſario med. latin. Ver. *Diaconiae* obſervaſſe, ab Anaſtaſio in Vitis PP. XXIV. recenſeri Diaconias: quarum indicem idem Cl. Vir affert, quamquam unam vel alteram diverſis nominibus donatam ſuſpicor : mirum non erit , ſi Gregorii Magni tempore XVIII. Diaconias extitiſſe quis tradat. Anaſtaſius enim vixit anno 870. ex eodem Cangio in Indice tom. I. praefixo, & fortaſſis evenit, ut aliquot dirutis ob vetuſtatem Diaconiis novae ſubſtituerentur, ac deinde priores fuerint reſtitutae. Certe in vita Hadriani I. tom. 8. Concil. edit. Ven. col. 510. legimus: *Hic enim coangelicus vir divina inſpiratione ignitus conſtituit Diaconias tres . . . . quas ſupraſcriptas Diaconias hic almificus vir in abditis ſine miſericordiae fructu reperiens noviter reſtauravit. etc.* et col. 511. *Diaconiam vero Sanctae Dei Genitricis , ſemperque*

Vir-

XXXIX. Tempore igitur S. Gregorii Magni ex hactenus adductis Romae extitiſſe Eccleſiam S. Nicolai nulli dubium eſſe poteſt, quod ex eo etiam eruitur, quod antiquitus, uti obſervat Pancirolus (*a*), ſub Altari Majore *Confeſſionem* conſtruere ſolerent, ubi Martyrum corpora collocabantur. In *Confeſſione* autem S. Nicolai in *carcere*, corpora, licet non integra, SS. Marci & Marcelliani, collocata eſſe idem laudatus auctor referat. Et re quidem vera poteſt quiſque apud Mabillonium (*b*) obſervare; ſub *Ciborio* erectum fuiſſe Altare; ſub Altari vero *Confeſſionem*, locum nempe, in quo SS. Reliquiae & Corpora ſervabantur. Ad quod mire facit quod ſcribit Cardinalis Lambertinus, hodie Benedictus XIV. in ſuo abſolutiſſimo Opere de Canonizatione SS. (*c*): *In citata Epiſtola Cardinalis Ruſticuccii ſcripta juſſu S. Congregationis Rituum dictum eſt, Sanctorum Corpora eſſe intra Altaria collocanda, ſuper quae Sacrificium Miſſae celebratur: qui Ritus ſane eſt antiquiſſimus: . . . . Poſtquam Cardinalis Baronius ad Ann. Chriſti* 389. *textum quemdam retulit Eunapii, qui vixit ſub Juliano, quique fuit hoſtis acerrimus, & impius Chriſtianae Religionis deriſor, ita ſubjicit: = Sed et ille veteris*

ob-

Virginis Mariae ſcholae Graecae, quae appellatur Coſmedin, dudum brevem in aedificiis exiſtentem ſub ruinis poſitam reſtauravit. cet. et col. 513. *Item egregius Praeſul praefatus Baſilicam ſcil. Beati Hadriani Martyris, & SS. Coſmae & Damiani a novo reſtauravit: Diaconias conſtituit, in quibus & multa bona fecit, cet.*. Sedit autem Hadrianus ab ann. 772. ad 795. Confer etiam, quae in vita Gregorii III. leguntur, qui ſedit Pontifex ab ann. 731. ad 741. De Palatinis Diaconiis ſcribit etiam Pancirolus loc.cit.pag.32. earum Diaconis conſecratis Presbyteris, Diaconiae tamen titulum ab Eccleſiis ſublatum non fuiſſe. Quae ſane omnia ſatis aperte indicant plures potuiſſe Diaconias quam Diaconos eſſe, de quorum numero heic nulla inſtituitur quaeſtio. Sed de his abſtruſioribus antiquitatis reliquiis conſulendi Panvinius, atque in primis Cl. Vir Illuſtriſſimus D. Joſeph Simonius Aſſemanus Ital. Hiſt. ſcript. tom: 4. cap x. & ſeqq. in quibus vir eruditione ſummus plura ſcitu digna de moreediſſerit, ac potiora, quae ad Cardinalium originem, eorumque titulos, & Diaconias pertinent, ſubtiliter, copioſeque enucleare non omittit.

(a) Pancir. loc. cit. ubi de Eccleſia S. Nicolai in Carcere pag. mihi 728. ibi: *Conoſciamo ancora l'antichità di queſta Chieſa dalla Confeſſione, che ſi facea in quei tempi ſotto l'Altar Maggiore, cet.*

(b) Mabil. tom. 2. Muſ. Ital. ubi agit de forma vet. Baſil. in comment. nu. III. a pag. XXI. ad XXXVIII.

(c) Lib. IV. par. II. cap. XXVI. n. 4.

obſervantiae uſus attendendus ex verbis Eunapii, non ſolum ſub Altaribus claudi Martyrum Reliquias, ſed & foris relinqui praecipua eorumdem Membra certis diebus cunctis perſpicua, ac adoranda =. S. quoque Ambroſius in Epiſt. 85. *de inventione SS. Martyrum Proceſſi & Martiniani ait: = Succedant Victimae triumphales in locum, ubi Chriſtus hoſtia eſt: ſed ille ſuper Altare, qui pro omnibus paſſus eſt; iſti ſub Altari, qui illius redempti ſunt paſſione. Locus iſte Martyribus debebatur. = Addi etiam poteſt ejuſdem S. Ambroſii Epiſtola olim* 85. *nunc* 22. *claſ.*1.*tom.*2.*Operum nov.edit.pag.*874.§.1., *ubi ait: Corpora Chriſti Martyrum Gervaſii, & Protaſii ante cancellos Beatorum Felicis, & Naboris a ſe reperta, mox* ſub Altari depoſita.... *Et concordat Aurelius Prudentius, qui floruit ineunte ſaeculo quinto, ubi agit de Martyrio S. Hippolyti & de loco ejus ſepulturae aſſignato..... Quibus quidem cohaerenter in Caeremoniali Epiſcoporum lib.*1.*cap.*12.§.16. *habentur haec verba: = Locus, qui in plerisque Eccleſiis ſub Altari Majori eſſe ſolet, ubi SS. Martyrum Corpora requieſcunt, Martyrium, ſeu Confeſſio appellatur, cet.* Perſpecte igitur Pancirolus, ut dictum eſt, Eccleſiam S. Nicolai in *Carcere* ſatis antiquam eſſe conjecit ex eo, quod in Altaris Confeſſione SS. Marci & Marcelliani Reliquiae eſſent collocatae, ac proinde, Eccleſiam ejuſdem S. Nicolai Romae tempore S. Gregorii I. extitiſſe, nemo eſt, qui dubitare poſſit.

XL. Quae omnia ſi vera ſunt, ut vera eſſe ipſe Cl. Falconius fateatur oportet, ſi pauliſper affectu, quo erga ſuum fertur *ſyſtema*, depoſito, rem ſincere perpendat; cuique liquido apparet, celebre S. Gregorii Magni tempore fuiſſe S. Nicolai nomen, cui non ſolum Eccleſiae erant dedicatae, ſed hae ſpeciali cultu honorabantur, non in Lycia, quod tam mirum non eſſet, ſed in Italia, & quod caput eſt, Romae. Quis vero credat, tum ea in urbe non S. Nicolao Myrenſi h. m. honores fuiſſe tributos? Primum enim vero non videtur ſimile, Nicolao Pinarenſi, qui ex Falconio in Lycia deceſſerat anno 551. ſtatim poſt obitum fuiſſe Romae erectam Eccleſiam, quandoquidem, cum tempore S. Gregorii, qui ab anno

590.

590. ad 604. uſque Summus Pontifex floruit, inſtitutae fuerint *Statio*, & *Diaconia* S.NICOLAI in *carcere:* extitiſſe ea tempeſtate hanc Eccleſiam, eamque longe ante fuiſſe erectam fatendum eſt. Deinde ab eo tempore ad praeſens uſque cum abſonum ſit arbitrari, eumdem S. NICOLAUM Romae praecipuo cultu non fuiſſe honoratum, ſed alterum alteri ſubſtitutum: ſi S.Nicolaus Pinarenſis, quum Romae, tum alibi ſemper fuit ignotus, ſemper item ibi S. NICOLAUM Myrorum Archiepiſcopum veneratum fuiſſe pro certo habendum eſt. Praeterea cum *Epiſcopus quilibet electus Synodicam, ſeu Enthroniſticam ad principaliores ſedes dirigeret, cui fidei profeſſio inſerta erat*, ut docet Franciſcus Dominicus Bencini de *Litteris Encyclicis* (*a*); iſque mos quoad Primates, Patriarchas, & Summos Pontifices perdurarit ad Gregorium M. uſque, ut laudatus auctor obſervat; facile etiam tam in Electione Nicolai Pinarenſis, quam ejus ſucceſſoris, eumdem morem adhibitum eſſe conjicere poſſumus. Qui igitur fieri potuit, ut Pinarenſis Epiſcopi, miraculis, & Sanctitate celeberrimi ita ſit deleta memoria, ut nuſquam ejus mentio habita fuerit, & totus Chriſtianus Orbis, ſaltem quoad Latinam Eccleſiam, honore tam praecipuo S.NICOLAUM Myrenſem Metropolitam per ea tempora ad noſtra uſque fuerit proſecutus?

XLI. Sed illud etiam heic non omittendum, quod priore loco ratione temporis exhibendum eſſet, ſi monimenta ad id demonſtrandum ſuppeterent, quibus omnino deſtituimur. Sed heic tamen id addendum duximus, quod fortaſſe in poſterum proferri in apricum poterint, quae ad illud firmandum modo deficiunt. In comperto eſt, anno Domini DXXXVI. Cpolitano Concilio poſt obitum Agapeti tempore Interregni Pontificii ſub Menna celebrato contra Anthimum, Severum, alioſque Acephalorum principes, interfuiſſe Sabinum Eccleſiae Canuſinae Epiſcopum (*b*), qui ſemper primo loco ſcribitur, ut videre

(a) Bencin.diſſert.I.nu.XIII.pag. 50.

(b) Utrum unus, vel duo fuerint Sabini dubitatur a Bollandianis ad IX. Feb.quos vide. Vide etiam Cl.itidemque doctiſſimum Joſephum Aſſemanum Bibliothecae Vaticanae Praefectum tom. I.de Reb.Neapolitanis in Opere inſcripto *Italicae Hiſtoriae Scriptores*, *cet.* cap.18., ubi multa habet de S. Sabino, ejuſque Vitae Scriptore, & Bollandianos corrigit, atque emendat.

Digitized by Google

videre eſt in Conciliorum Collectione Labbeana (*a*). Jam vero de eodem S. Sabino poſt celebratum Concilium ſcribunt Bollandiani (*b*): *Dum Italiam repetit Sabinus in Lyciam deflexit, Sanctique Praeſulis Nicolai in Myra Urbe veneratus eſt ſepulcrum. Si, ut habetur in appendice ad Marcellini Chronicon* (*c*) *Indict. XV. P.C. Beliſarii II. anno Chriſti DXXXVII., Silverium Papam relegavit Beliſarius, & quidem Pataram Lyciae Urbem, quod teſtatur Liberatus; videri poſſet, ad eum viſendum, ſolandumque iſthuc profectus Sabinus. At quocumque demum tempore, Myram certe veniſſe traditur, ac Sancti Nicolai ejus quondam Urbis Epiſcopi Miraculis & concurſu Populorum celebrem tumulum viſitaſſe, & cujus ſtudioſe imitabatur mores, ejus coram patrocinium, tutelamque imploraret. Hic ergo & manantem ab ejus oſſibus Sacrum liquorem, quem nunc* Manna *Itali appellant, & quae per eum multis mortalibus afferebatur, miratus opem, aſſiduas ad ejus tumulum preces fundebat. Quodam die Deum impenſius obſecranti, ut Sancti illius Praeſulis deprecatione, divinum ſibi ſuum favorem impenderet, utque in virtutis ſtudio ad obitum uſque perſeverandi gratiam largiretur, haec, inquam, oranti, ſubito adſtitit Nicolaus, itaque eum affatus eſt: Euge, Sabine, tuas Deus preces exaudit, inque Venerationis corpori hic meo exhibitae mercedem, haec me tibi juſſit renuntiare: In divino uſque ad obitum cultu perſeverabis, & vita functum in Sanctorum tabulas Eccleſia te Catholica adſcribet, ac longo tandem annorum decurſu utriuſque noſtrum Reliquiae ad unam eamdemque Urbem transferentur, cujus ambo tutelam ſuſcipiemus. Evenit illud tandem, allato Barium primum S. Sabini, deinde & Sancti Nicolai corpore. Hoc coeleſte reſponſum* (*ex*

H *anti-*

(a) Edit. Ven. col. 966., 1014., 1023., 1058., 1063., 1231.

(b) Bolland. ad IX. Feb. pag. 316. §. VII. n. 42.

(c) Id etiam refert Franciſcus Pagius in Silverio, ibi: *Eodemque agente Beliſario Pataram Civitatem Lyciæ in exilium deportatus, in ejuſque locum Vigilius intruſus eſt. Hæc autem acciderunt durante Urbis obſidione, ut tradit* Procopius lib. I. *de* Bello Goth. cap. 25. *ideoque ann.* DXXXVII. *quo Romana Urbs a Vitige Rege obſeſſa eſt. Id confirmatur ab Anaſtaſio in Silverio, & ex continuatore Marcellini, qui tradunt hæc accidiſſe Indict.* XV. *qua ann.* DXXXVII. *in curſu erat.* Breviar. Pontif. tom. I. in Silverio n. III.

antiquis, ut arbitramur, Eccleſiae Barenſis monumentis) *commemorat Beatillus Vitae S.Sabini c.* 8. *& Hiſtor. S.Nicolai lib.*5.*c.*23. *& lib.*6.*c.*3.*cet.*

XLII. Scio his reponere Illuſtriſſimum Falconium, *Metaphraſtica* eſſe, quae narrat P.Beatillus, atque ex eo Bollandiani; quum nullum Monimentum extet, ex quo liquido appareat, S.Sabinum Myram ſe contuliſſe, ut tumulum S.NICOLAI Myrenſis coram veneraretur. Fateor ingenue, nullum hujuſmodi mihi innoteſcere monumentum; credendum eſt tamen, P.Beatillum ea omnia commentum non eſſe, ſed vel in aliqua hiſtoria edita, vel Mſcta S.Sabini, vel in ejuſdem Actis, ad quae ſaepius provocat, vel in Monumentis, quae in Tabulariis Eccleſiarum Cathedralis, & Regalis Civitatis Barii aſſervabantur, ſine dubio inveniſſe. Certe in Vita S.NICOLAI (*a*) diſerte ait, ſe referre ſolum, quod in Actis S. Sabini legitur: Neque enim putandum eſt, P.Beatillum tam effrictae fuiſſe frontis, ut ex proprio ingenio commenta tamquam veras hiſtorias ederet. Ut ut enim oſcitantiae in pleriſque argui poſſit, ac diſcernendi arte parum quandoque praeditum ſe prodat: non ideo tamen fabulatoris nomine donandus eſt, praeſertim cum fabulari non juvat. Eo magis, quod cum in Vita S.NICOLAI (*b*) prophetiam ejuſdem Sancti narraret, quum per Barii Urbem tranſiens Romam proficiſceretur poſt celebratum Concilium Nicaenum, hanc, inquam, prophetiam: *Hic quieſcent Oſſa mea*, ingenue fatetur numquam ſe neque in edito libro, neque in MSS.vidiſſe. Ait tamen ſe ab erudito Viro Franciſco Vannelli audiviſſe, quod ipſe id legerit in libro edito variarum Hiſtoriarum. Quae omnia Scriptorem exhibent non fabulas narrantem, ſed veritatis inda-

(a) Beatil. lib. 7. cap. 15. edit. 1620. ibi: *Riferiſco ſolamente quel che negli Atti di S.Sabino ſi legge.*

(b) Idem Beatil. lib. 8. cap. 7. ibi: *Tal Profezia confeſſiamo ingenuamente non averla noi mai veduta, nè in libro alcuno, nè in altra qualſiveglia ſcrittura: Con tutto ciò per averla riferita il Dottore Franceſco Vannelli Gentiluomo d'Agubio, perſona molto erudita, e verſata in ogni ſorte di ſcienza, perciò di grandiſſimo credito.* Et infra: *Dicea dunque il Vannelli aſſeveratantemente, che avea letto egli ſteſſo in un libro ſtampato di varie hiſtorie, che 'l glorioſo S. Nicolò Arciveſcovo di Mirea, quando dopo il Concilio Niceno andò a viſitare i luoghi Santi di Roma, sbarcò in Bari, e diſſe in mettendo i piedi a terra:* Hic quieſcent oſſa mea.

dagatorem. Huc etiam illud facit, quod Corpus S.Sabini ann. 1091. inventum ſit in *Confeſſione Cathedralis Barienſis*, *poſt quam ducentos & quadraginta annos latuiſſet eo in loco*, *ubi Angelarius* (Epiſcopus) *occultaverat*, ut ex Joanne Archidiacono refert Ughellus (*a*), quatuor poſt annos a Translatione S.Nicolai, ut divino conſilio factum videatur, ut eodem pene tempore corpus unius inveniretur, alterius vero e Lycia Barium transferretur, quemadmodum alter alteri eadem in Urbe corpora quietura praedixiſſe fertur.

XLIII. Sed antequam finem huic capiti imponamus aliud pro S.Nicolai Myrenſis prae Pinarenſi antiquitate argumentum proferendum eſt. Legeram apud P.Beatillum (*b*) imaginem ejuſdem Sancti inciſam videri in Sacratiſſimae Crucis particula in Apoſtolico Sacrario aſſervata, celeberrimumque Thaumaturgum medio fere quinto ſaeculo a Ruthenis tamquam Patronum cultum fuiſſe; cumque laudatus Vitae Scriptor auctoritate nixus P.Angeli Roccae Ordinis Eremitarum S.Auguſtini, Epiſcopi Tagaſtenſis, doctiſſimi Viri, itidemque Hebraice & Chaldaice peritiſſimi id aſſereret, ſubdubitare coepi, num P.Beatillus in eo narrando deceptus eſſet. Res enim erat ejuſmodi, ut ea veritatis luce in apricum prolata Falconiani *Syſtematis* tenebrae nihil S.Nicolai Myrenſis ſplendori, dignitatique officere poſſent. Ea dubitatione commotus, quoniam P.Roccae Opus, unde id hauſerat P.Beatillus, ad manus habere non poteram, vehementer angebar. Sed tandem miſſa ſunt mihi Neapoli praecipua ex eo Opere excerpta loca, ex quibus & verum narraſſe P.Beatillum, & maximi ponderis argumentum adverſus Cl.Falconium inde erui poſſe non fine magno gaudio deprehendi. Sed age ad rem deveniamus. Laudatus Epiſcopus Tagaſtenſis Sacrarii Apoſtolici Praefectus in Comment. de Particula Sacratiſſimae Crucis Sacris Imaginibus, & Elogiis in eodem ligno inciſis inſignita, & in Apoſtolico Sacrario aſſervata, narrat, quamplures imagines & characteres in ea S. Crucis particula inciſas videri. Inter has autem & S.Nicolai Myrorum Epiſcopi ima-


 ginem

(a) Ughell. Tom. 7. col. 610. edit. Ven. lit. C. Sed de hac re, quemadmodum de Angelario Epiſcopo, omnino videndus Illuſtriſſimus Aſſemanus cit. tom. 1. Ital. Hiſt. Script. cap. 18. n. XXXIII.

(b) Beatil. Lib. v. cap. 19.

ginem extare; ex notis Ruthenicis, ſeu Servianis id repraeſentari Cl. Scriptor aperte oſtendit; id quod ex ejuſdem verbis heic infra excribendis, atque ex appoſita Crucis imagine quiſque conſpicere poteſt (*a*). Quo autem tempore hae imagines fuerint

rint



(a) Rocca Cap.111. Edit. Rom.1609. a pag.19.ad 24. *Sanctiſſimi,*inquit, *ligni particula Imaginem, aut formam Sanctiſſimæ Crucis repræſentare cernitur. Ad eam vero partem, in qua duodecim extant Imagines, ipſomet Sacratiſſimo, uti diximus, ligno inciſæ, ſupra ipſum Sanctiſſimæ Crucis lignum lamella aurea inſtar ſchedulæ, notis hiſce* Compendia*riis cernitur inſignita* ✠ IS XS, *hoc eſt, Jeſus Chriſtus. In ipſo autem Sacratiſſimo ligno, ad ejus frontem, Sacroſancta Trinitas more Græco per tres imagines humanas repræſentatur, notis item compendiariis Ruthenicis, aut Servianis, hiſce videlicet vocibus* : Suveta Troiza, *id eſt* : Sancta Trinitas. *Quamvis autem hæ notæ compendiariæ in ipſomet Sacratiſſimo ligno (cujus formam, aut imaginem initio aut fronte hujuſce libri videmus repræſentatam) ſuper dictas tres imagines ſacras cernantur inciſæ; eas tamen, atque id genus alias ſuis in locis incidendas non cenſuimus ob linguæ, atque litterarum ignorationem, nimiamque locorum anguſtiam, quam inciſio & impreſſio ſatis belle ferre non queunt. Nos vero, ut hujus generis rei ſuccurramus, omnes imagines, earundemque notas compendiarias latina explicabimus lingua.*

rint elaboratae, ut S. Nicolai Myrenſis prae Pinarenſi antiquitatem inde eruere valeamus, id melius quam verbis ejuſdem Epiſcopi Tagaſtenſis confici non poſſe arbitror. *Quiſnam vero*, inquit (*a*), *hanc Dominicae Crucis particulam Sacris iconibus, characteribuſque*, aut litteris Graecis, ac Ruthenicis, vel „ Servianis inſignitam, & Romam, & ad quemdam Roma„ num Pontificem miſerit, certo haudquaquam ſcire potui; „ eam

lingua: notæ namque ipſæ, Ruthenica aut Serviana lingua, litteriſque Ruthenicis, vel Servianis cernuntur inciſæ, ut ab iiſdem accepi Ruthenis, qui eas interpretati ſunt. Etenim Rutheni & Serviani litteris utuntur fere iiſdem, quæ magnam cum litteris Græcis habent affinitatem, etiamſi Græca lingua a Ruthenica, & Serviana omnino diverſa exiſtat. Hæc de notis compendiariis Ruthenice & Serviane inciſis, ut ceteras Imagines, ac notas explicemus. Infra Sanctiſſimæ Trinitatis Imagines Chriſtus Dominus quatuor clavis Cruci affixus repræſentatur. Ad Crucifixi dexteram S. Paulus Apoſtolus, deinde Maria Cleophæ, prope autem Crucifixum Beata Maria ſemper Virgo, & Chriſti Domini Mater; ad ſiniſtram vero S. Petrus Apoſtolus, deinde Maria Magdalena, & prope Crucifixum S. Joannes, qui fuit Diſcipulus Jeſu .... ſupra Chriſti Domini caput ad Crucis frontem hæ duæ leguntur voces: Jeſus Chriſtus: *iiſdem tamen notis compendiariis, quas nuper in medium attulimus. Infra ejus pedes Mortis caput, ſive imago cernitur: inferius autem S. Baſilius, & S. Chryſoſtomus, Doctores Græci, qui adverſus Hæreticos contra Sanctiſſimam Trinitatem blaſphemantes conſcripſerunt, repræſentantur, ut notæ compendiariæ oſtendunt.*

Ad alteram Sacratiſſimæ Crucis ligni partem, in qua Sanctiſſima ſemper Virgo & Chriſti Domini Mater cernitur repræſentata, decem extant imagines, ipſomet Sacratiſſimæ Crucis ligno inciſæ. Supra ipſum Sanctiſſimæ Crucis lignum lamella item aurea ſchedulæ inſtar notis hiſce compendiariis cernitur inſignita ✠ $\overline{\text{IS}}$ $\overline{\text{XS}}$, *hoc eſt*, Jeſus Chriſtus. *Ad ipſius autem Sacratiſſimi ligni frontem* Nicolaus Myrenſis Epiſcopus, *Ruthenorum Patronus, Notis Ruthenicis, aut Servianis repræſentatur. Quatuor item hoc loco Evangeliſtas videre licet. Nam ad Beatæ Mariæ ſemper Virginis Deiparæ dextram Matthæus per faciem hominis, Marcus per faciem Leonis; ad lævam autem ejuſdem Virginis ac Matris Domini, Joannes per faciem Aquilæ; Lucas autem per faciem Bovis repræſentati cernuntur. Infra Deiparæ ſemper Virginis Imaginem S. Gregorius Nazianzenus Epiſcopus, & Doctor, Ruthenorumque item Patronus: & paulo inferius ad dexteram S. Sergius, & ad ſiniſtram S. Niconus ambo Martyres, & in Græcia ſolemniter celebrati, Notis Ruthenorum compendiariis repræſentati cernuntur. Deipara vero Maria ſemper Virgo Filium ſuum Unigenitum, Deum ſcil. atque hominem in ſinu ſuo geſtare, atque circumcirca habere conſpicitur Eulogium, aut Elogium, vel Encomium tam lingua, quam litteris, aut Notis Ruthenorum, aut Servianorum compendiariis conſtans, Latine autem ab ipſis Ruthenis redditum in hanc verborum formam:* = Honorabilior & vere glorioſior Cherubinis. = Hactenus doctiſſimus P. Rocca, cujus verba, licet prolixiora integra exſcribere placuit, ut Sanctiſſimæ Crucis imaginem conſpicientibus clarior evadat intelligentia.

(a) Cap. 1. pag. 7. cit. Comment.

,, eam tamen a Graeco forſan Viro Ruthenicae, aut Servia-
,, nae linguae non ignaro ad Sanctum Leonem Papam, hujus
,, nominis Primum (qui floruit circa annum 450.) miſſam
,, fuiſſe, conjecturam facio ex Epiſtola dicti Leonis ad Juve-
,, nalem Epiſcopum Hieroſolymitanum ſcripta perſuaſus. Nam
,, ad ejuſdem Epiſtolae (78.tom.1.par.2.pag. 249.) calcem
,, haec Leo ipſi Juvenali & breviſſime quidem, ſcripſiſſe in-
,, venitur dicens: *Particulam Dominicae Crucis cum Eulogiis*
,, *dilectionis veſtrae veneranter accepi*; & infra: (a) Quod autem
,, praetioſiſſimae Crucis particula ad S.Leonem I. a Juvenale
,, Hieroſolymitano Epiſcopo miſſa, ea ſit, quae nunc prae ma-
,, nibus habetur, & in Apoſtolico Sacrario aſſervatur, per Eu-
,, logia in quarto caſu pluralis numeri cum Dominicae Crucis
,, particula a Juvenale miſſa ad Leonem, ſatis congruenter pro-
,, batur: ,, Eulogium enim, ſive Elogium vox Graeca eſt, quae
,, latine, *laus electa*, vel *ſummatim collecta*, interpetratur a ver-
,, bo Graeco εὐλογέω dicta, quod eſt benedicere, laudare, aut
,, honorifice aliqua de re loqui, ſive praedicare, aut celebrare:
,, quorum verborum ſenſus comprehenditur in breviſſimis illis In-
,, ſcriptionibus, quae in Dominicae Crucis particula cum Sacris
,, iconibus inciſae leguntur ,, (b). Cum autem S.Leo Pontifex ſede-
rit

(a) Cit. cap. pag. 9.

(b) Scio huic interpretationi duo opponi poſſe. Primum quod verba illa *cum Eulogiis dilectionis veſtræ* de litteris accipi nihil vetet, ut ſenſus ſit: cum *litteris dilectionis veſtræ*. Secundum, cum apud Cangium in Gloſſario ad hanc vocem *olim Epiſcopi, qui invicem communicabant, in communicationis indicium viciſſim Euchariſtiam mitterent, ut teſtatur Euſebius* lib. 5. *hiſtoriæ* c. 26.; *Eulogia* vero ipſam Euchariſtiam ſignificare etiam poſſit, ex eodem Cangio; a vero multum non abhorret, Juvenalem Hieroſolymorum Epiſcopum cum particula Dominicae Crucis Euchariſtiam ſimul in ſignum communicationis S. Leoni miſiſſe, atque inde eſſe, quod S. Leo *veneranter* illam particulam cum Eulogiis, ſe accepiſſe ſcribat. Eo vel magis, quod idem Sanctiſſimus Pontifex in ea Epiſtola Juvenali gratuletur, eum poenituiſſe, quod Flavianum Epiſcopum condemnaſſet, erroreſque Eutychetis admiſiſſet. Inter alia namque *Beata*, inquit, *memoria Flaviani condemnatio, & impiiſſimi Eutychetis receptio, quid niſi Domini noſtri Jeſu Chriſti ſecundum carnem condemnatio fuit?* Et infra: *Unde quia in tempore indulgentiæ reſipiſcentiam magis, quam pertinaciam delegiſti, ita gaudeo te coeleſtem expetiſſe medicinam, cet.* Sed licet haec ſpecioſa appareant, negotium tamen ullum non faceſſunt. Quod ad primum enim S. Leo Epiſtolam exorditur his verbis: *Acceptis dilectionis tuæ*
lit-

rit ab ann. 440. ad an. 461. uſque, imo Epiſtolam claudat his verbis: *Data pridie Nonas Septembris Aëtio, & Studio Viris Clariſſimis Conſulibus*; Aëtius vero & Studius Conſules occurrant in Faſtis Conſularibus, a Cl. Viro Theodoro Janſonio ab Almeloveen editis, ad Ann. 454. perſpicue inde deducitur, medio fere quinto Saeculo imaginem S. NICOLAI Myrenſis tum extitiſſe, celeberrimumque Thaumaturgum ea tempeſtate a Ruthenis peculiari fuiſſe cultu decoratum. Quod ſi hae doctiſſimi Epiſcopi Tagaſtenſis conjecturae, licet, mea quidem ſententia, maximopere firmae, ſatis Illuſtriſſimo Falconio non faciant, meliora, quibus eas refellat, in medium afferat oportet. Sed & illud huic rei firmandae mirifice facit, nimirum eumdem Cl. Epi-

litteris, quas ad me filii noſtri Andreas Presbyter, & Petrus Diaconus detulerunt, cet. Adeo ut vero non ſit ſimile, id voluiſſe S. Pontificem ad calcem aliis verbis, iiſque ambiguis, repetere; quod ad alterum vero, præterquam quod *Eulogia* pluralis numeri non ſatis congruenter Euchariſtiam ſignificant, potius decebat, S. Leonem Pontificem Euchariſtiam in ſignum communicationis Juvenali Epiſcopo, qui jam reſipuerat, quam Juvenalem S. Leoni mittere. Sed hac de re videndus Euſebius, & Valeſius in not. Confer Cabaſſut. not Eccleſ. ſaecul. II. diſſert. v. n. 7. & Van-Eſpen Oper. Part. v. in Tract. hiſt. Canonic. Par. 2. cap. 1. §. XII. ad Can. XIV. Laodic. Illud tamen vero admodum ſimile videtur, verba: *cum Eulogiis dilectionis veſtræ:* commode intelligi poſſe de Sacris donis, quae ut benedictione conſecrata, ita *veneranter* accipi appoſite dicuntur. Sed doctiſſimi Epiſcopi Tagaſtenſis, cujus auctoritati non parum dandum eſt, verba hanc oppoſitionem ſolvent. *Adde etiam*, inquit loc. cit., *quod S. Leo Papa particulam Dominicæ Crucis cum Eulogiis veneranter ſe accepiſſe fatetur: quæ profecto Eulogia in recto pluralis numeri, ſeu Elogia pro laudibus deſumpta, ſi non ſunt illa, quæ in particula Dominicæ Crucis circa Imagines extant inciſæ, ea veneranter ſe accepiſſe non dixiſſet, ne rebus non ſacris venerationem præſtare videretur. Sed* Eulogias *pro munificentia, vel pro muneribus, & id genus aliis rebus non ſacris deſumptas, ab ipſa Dominicæ Crucis Particula ſejunctas ſeparatim nominaſſet. Si autem pro illa voce* Eulogiis, *in ſexto pluralis numeri caſu pronunciata,* Eulogiæ *pro ſacris muneribus, ex charitatis & venerationis affectu miſſis hoc in loco ſumerentur, ut etiam ſonat vox ipſa Græca* Εὐλογία. Eulogia, *Sanctus Leo abſolutè dixiſſet:* Eulogias dilectionis veſtræ veneranter accepi, *ut inter Eulogias id eſt ſacra dona, illam quoque Dominicæ Crucis comprehenderet particulam, quæ erat item donum. Vel dixiſſet:* Particulam Dominicæ Crucis cum aliis Eulogiis dilectionis veſtræ veneranter accepi. *Addidiſſet enim illam dictionem* aliis, *ut Particulam Dominicæ Crucis Eulogiam eſſe, hoc eſt munus, charitatis, & venerationis affectu miſſum oſtenderet. cet.* Legatur integer locus, in quo doctiſſimus Auctor plura erudita admodum ad rem conficiendam affert.

Cl. Epiſcopum Tagaſtenſem, multis & gravibus argumentis oſtendere, eandem ſcil. Dominicae Crucis particulam una cum imaginibus in eadem inciſis a S.Sergio Papa I.qui ſedit ab ann. 687. ad 701. fuiſſe inventam, quod ex Beda, Anaſtaſio Bibliothecario, Onuphrio Panvinio, aliiſque latiſſime probat. Cumque capſam argenteam, in qua praedicta Dominicae Crucis particula repoſita erat, in angulo obſcuriſſimo *diutiſſime* jacuiſſe narret Venerabilis Beda, *in angulo obſcuriſſimo jacentem, & ex nigredine tranſactae annoſitatis, nec ſi eſſet argentea, apparentem* referat Anaſtaſius Bibliothecarius, vel quicumque alius libri Pontificalis auctor: recte inde conſequi poſſe arbitror, particulam illam Dominicae Crucis, etiamſi a Juvenale Hieroſolymorum Epiſcopo S.Leoni Papae miſſam non fuiſſe,una cum imaginibus in eadem inciſis velit Falconius,Saeculo ſaltem anteriore, quo fuit inventa, nihilominus fuiſſe in modum Crucis efformatam fatendum eſſe, adeo ut eodem pene tempore, quo Pinarenſis Nicolaus obiit, Rutheni celebri cultu S.Nicolaum Myrenſem proſecuti fuerint, quod utrum ſuo *ſyſtemati* officiat, necne, videat Cl. Falconius. Atque huc etiam illud facit, quod idem Cl. P.Rocca in Epiſtola dedicatoria ad Paulum V. cauſas enarrans, cur Commentarium ediderit, ſubdit: *Praeſertim* vero propter *Crucifixionis Dominicae Imaginem quatuor Clavis tamquam* propriam & veram in eodem ligno repraeſentatam, „ id quod tam picturis ac muſivis, ſculpturiſque antiquiſſimis, „ quam Scriptorum antiquorum & recentiorum ſententiis & „ rationibus ipſis *comprobatur,cet.* „ In quo Cl. Vir conſentientem habet Cl. P.Honoratum a S.Maria (*a*) qui ſcribit: „ *Jeſum Chriſtum* Cruci confixum fuiſſe tribus, vel ad ſummum „ quatuor Clavis.Haec namque vetuſtior & probabilior ſententia eſt,quippe petita ex apertis locis S.Cypriani, S.Gregorii „ Turonenſis, Innocentii III., Nonni,Rufini,Theodoreti,Zonarae, & quorumdam aliorum; nec non ex veteri more crucifigendi quatuor clavis, ut apparet ex antiquioribus imaginibus, quae referunt Jeſum Chriſtum e Cruce *pendentem.*

Emi-

(a) P. Honor.Tom.III.diſſert.v. art. v. pag. 148. col. 1.

Eminentiſſimus etiam Cardinalis de Lambertinis (*a*) hodie Summus Pontifex Benedictus XIV. ***communiorem*** vocat opinionem pro quatuor Clavis, ita ut ſingulae manus, pedeſque ſinguli Domini Noſtri Jeſu Chriſti clavo fuerint confixi. De qua re videantur Durantus *in not.10. ad cap.X.lib.I. Revelationum S. Brigidae*, & Cl.P.M. Berti *de Theologicis diſciplinis*, (*b*) qui refert eumdem clavorum numerum exhiberi in aureo numero, de quo Cornelius Curtius *pag.119.in* libro *de Clavis Dominicis*, quae certe omnia quemadmodum ſatis antiquam indicant Crucifixi Imaginem, quam in appoſita tabella *pag.60.*ex doctiſſimo P. Rocca delineatam quiſquam conſpicere poteſt; ita etiam ejuſdem antiquitatis imaginem S. Nicolai Myrenſis ſine dubio luculenter demonſtrant, celeberrimumque Thaumaturgum longo ſatis tempore ante Nicolaum Pinarenſem a Chriſti fidelibus fuiſſe cultum.

CAPUT VI.

Ex aliis Monumentis, quae Cl. Falconius exagitat, S. Nicolai *Myrenſis prae Pinarenſi antiquitas abunde ſuadetur.*

XLIV. Praeter hactenus deducta argumenta ſunt & alia, quae funditus *Syſtema* Falconianum evertunt. Quoniam tamen Cl. idem Vir, eorum vim ac pondus agnoſcens, ea eludere tentavit; videamus, an exitum res, ut ipſe cupit, feliciter habuerit. Extat de S. Nicolao ſatis luculentum Suidae teſtimonium. Ex eo apertiſſime eruitur, S. Nicolaum Conſtantini M. tempore floruiſſe, quod Falconius ipſe non diffitetur, imo ingenue fatetur; ait enim (*c*): *Suidae teſtimonium rem bene conficeret pro Nicolao primo, tempore Conſtantini.* Quid igitur agat Vir quidem ingenio, eruditioneque pollens, ſed totus ta-

I men

(a) De Canonizatione Sanctorum tom. v. edit. Rom. 1740. lib.3. c. 32. n. 6.

(b) Berti lib.29.c.ult.n.vi.pag.584.ſeqq.

(c) Pag.25. in Proleg.n.7.

men in S.Nicolao Myrenſi exturbando, ut Pinarenſem ſubſtituat, totique Chriſtiano Orbi colendum exhibeat? Num quo ſe vertat neſcit? Sed viro in Critices arte ſatis verſato effugia praeſto ſunt. En ut ſe feliciter expedit: *Sed caput illud*, inquit, *eſt ejus lexico aſſutum*, *& male aſſutum*, *corruptumque tempore ſequiori*, *ut certo conſtat*. Si ab Illuſtriſſimo Falconio quaeras, unde *certo conſtat* Suidae teſtimonium fuiſſe ejus Lexico aſſutum, reſpondentem audies: *certo conſtat*. Qui modus diſcernendi genuina a corruptis, atque interpolatis eſt certe tam facilis, ut ſi nihil aliud a Criticis afferatur, pro lubitu cuique liceret, omnes Eccleſiaſticas Hiſtorias, aut tamquam Commenta habere, aut ſaltem in dubium revocare. At enim, inquit Cl. Falconius, in tribus Codicibus Regiis non inveniuntur acceſſiones huic Suidae Lexico factae, ut refert Fabricius *tom. 9. Bibliothecae Graecae*. Sed operae pretium feciſſet Cl. Vir, ſi verba etiam, quae aſſuta eſſe contendit, in illis Codicibus non reperiri diſtincte indicaſſet: tunc enim dubium ſolummodo ſuboriri poſſet, utrum vere Suidas illa ſcripſerit, necne; dubium, inquam, unus enim aut alter Codex, reliquis omnibus refragantibus, ſatis ne quidem eſſet ad rem pro Illuſtriſſimo Falconio aliquatenus conficiendam? Sed paulo accuratius id expendamus. Primo autem Cl. Ludolphus Kuſterus in Praefatione ad Lectorem editionis Suidae Cantabrigiae 1705. haec habet: „ *Primo* Textum Graecum cum tribus Codicibus MSS. „ Bibliothecae Regiae Pariſienſis contulimus, quorum unus „ (quem in notis noſtris MSctum A appellare ſolemus) optimus eſt, & quingentorum ſaltem annorum vetuſtatem habet. Hujus praecipue Codicis ope ingentem mendorum numerum ex Suida ſuſtulimus, & non paucas lacunas in eodem ſupplevimus, ut ex notis noſtris Lectori patere *poterit*, *cet.* Notandum heic tres hos Bibliothecae Pariſienſis Codices eoſdem eſſe, de quibus mentionem habet Cl. Fabricius *tom. IX. Biblioth. Graec.*, ut apud eundem Auctorem videri poteſt. *Tom.* vero *II. lit. N. pag.* 622. ejuſdem Lexici idem Cl. Kuſterus ad locum Suidae, qui de S.Nicolao Myrenſi loquitur, notat: (7) Στρατιώτας) *ſic habet MS. A. At reliqui MSS.*; *&*

prio-

priores editt. ϛρατηλάτας*: quod non placet* . Jam vero cum tres illi Codices Regii, in quibus non reperiri acceſſiones Lexico factas refert Falconius, (*a*) ſint, ut praediximus, iidem, quos laudat Cl. Kuſterus: quiſque manifeſte videt, purum, putumque Falconii Commentum eſſe, caput illud, de quo ſermo eſt fuiſſe Suidae Lexico aſſutum, cum ex laudato Kuſtero conſtet, in ſolo Codice MS. A, quem optimum ex tribus Regiis Pariſienſibus vocat, & quo meliorem vix in Europa noſtra extare idem Cl. Vir putat apud ipſum Fabricium (*b*), legi Στρατιώτας, in reliquis vero MSS., & prioribus editionibus ϛρατηλάτας: Tantum ergo abeſt, ut in aliquo MS. haec, quae Suidas de S. Nicolao Myrenſi ſcribit non reperiantur, ut maxime in omnibus haec ſcripta eſſe quiſque perſpicue cognoſcat. Deinde & illud obſervandum Cl. Falconium referre: (*c*) *Caput autem ſequens Suidae eſt de Nicolao Lycio Myrenſi Cive, Dioſcoridis Grammatici, Hipparchi, & Patricii Conſulis Fratre.* Quum tamen ſecundum Cl. Kuſteri editionem, quam Falconius fortaſſe vidit, ut qui eam laudat, inter Sanctum Nicolaum Myrenſem, & Nicolaum Dioſcoridis Fratrem, alii ibi relati intercedant nomine Nicolai. Sed haec leviora ſunt. Illud tandem mirum cuique videri debet, quod Tillemontius (*d*) nihil de hoc Suidae teſtimonio ſuſpicatus, alia ratione ejus vim eludere conatur. Ait enim, ejus auctoritatem non magni eſſe momenti, quod eum non niſi verſus ſaeculi XI. finem (cum tamen Cl. Falconius ejuſmodi teſtimonium octavo vel nono ſaeculo Suidae Lexico aſſutum arbitretur) (*e*) vixiſſe credatur. Fabricius item Suidam Auctorem noni aut decimi ſaeculi autumat. Contra Cl. Falconius & Fabricium, & Tillemontium in hoc carpit, dum ſcribit (*f*): *Suidas non undecimi ſaeculi auctor eſt, ſed ſexti , ut probavimus in Prolegomenis ad Dionem cap.4.n.10.* & infra: *Sed cave a Fabricio , qui Authorem putat ſaeculi noni vel decimi.* Ac

I 2 tan-

(a) pag.63. Prolog. not. (b)
(b) Fabric.vol.9.Bibliot.Gr.p.645.
(c) pag.26.Proleg. princ.
(d) Tillemon.apud Falc. pag. 63. Prol.n.5.
(e) Pag.25.in Prol.nu.7.
(f) Pag.63.ibid.not.(b)

tandem vale dicit Tillemontio ſic notam concludens: *Tillemontius itaque poterat ab hoc Lexico abſtinere.* En ut Critici de rebus hiſtoricis tractant! Quem igitur ex his Auctoribus ſequemur? A Fabricio cavendum: Tillemontio non credendum; multo minus, ajo ego, Illuſtriſſimo Falconio, qui in hoc rerum examine non tam litigator, quam in ſuum *Syſtema* paulo indulgentior eſt. Quid igitur vetat, quin aequiſſimus Judex Falconio concedat, Suidam eſſe ſaeculi ſexti auctorem, de teſtimonio vero Suidae nullus dubitet, ut non dubitare Cl. Vir Tillemontius videtur; atque hac ratione utrique pro parte ſatisfaciat, & NICOLAUM Myrenſem Pinarenſi antiquiorem ſub Conſtantino M. floruiſſe ſatis opportune pronuntiet? Sed ad alia properandum.

XLV. Alterum pro S. NICOLAO Myrenſi argumentum ab Euſtratio deſumitur, cujus argumenti vim, ut quiſque melius expendere poſſit, Viri Cl. P. Michaëlis Lequienii e Praedicatorum doctiſſima Familia haeic verba exſcribere praeſtat. Laudatus Auctor in Opere (in quo dolet Cl. Falconius ſibi palmam praereptam) cui titulus: *Oriens Chriſtianus*, dum Myrenſes Archiepiſcopos recenſet, in NICOLAO noſtro ſcribit: (*a*) *Sanctiſſimus Myrorum Antiſtes (cujus celebris eſt per omnes Eccleſias memoria) qui ſucceſſor prioris fuit, ſub Conſtantino Magno claruiſſe, eruditi noſtrae aetatis Critici inficiari non dubitarunt. A quibus tamen haud aegre diſſentio: propter Euſtratii Coſtantinopolitanae Eccleſiae, Saeculo ſexto medio, ſub Eutychio Patriarcha, Presbyteri auctoritatem. A quo ſcil., in Refutatione illorum, qui ajunt, animas hominum ſtatim atque a corporibus ſunt ſolutae, nihil operari; teſtimonium affertur ex* VITA *ejuſdem S. Nicolai; quo certiſſimum ſit, Conſtantino Imperante, Myris in Lycia Epiſcopum ſediſſe.* Tum recitat Euſtratii verba Greca, & Latina; haec apponam, ſunt enim ſecundum fidem Graecam: *Ejuſmodi quidpiam ſub Conſtantino Magno Imperatore factum reperimus: quod Deo annuente,* San-

(a) Apud Falcon. in Prol. pag. 58. ſeq.

Digitized by Google

Sanctus Lyciae (*a*) *Epiſcopus* NICOLAUS *patravit. In ejus quippe* VITA *iſthaec narrantur* : *Nepotianus autem unus*, *cet.* deinde ſubdit Lequienius: *Hoc excerpto ex* VITA S.NICOLAI *quod Euſtratius recitat*, *Conſtantino Sanctum in ſomnis apparuiſſe*, *dixiſſeque fertur.... Ego ſum Nicolaus peccator*, *qui in Myris Lyciae ago.* VITA *iſta* S.NICOLAI, *ſaeculo ſaltem Eccleſiae quinto*, *ſcripta jam fuerat*: *quo proinde tempore Myrenſibus perſuaſum*, *ratumque erat*, *S.* NICOLAUM *Eccleſiae ſuae nupero ſaeculo* (*ſive quarto*) *praefuiſſe*, *agente in vivis Conſtantino*. *Quid ni vero proinde Concilio Nicaeno interfuerit? Ut in aliis ejuſdem* S.NICOLAI *Actis narratur? Tum in iis*, *quae manu exarata in Bibliothecis habentur*: *tum in illis quoque*, *quae Metaphraſtes ſuo modo adornavit*. Addit etiam laudatus Lequienius (*b*): *Eſto* NICOLAI *Myrenſis nomen in Latino Nicaenorum Patrum Indice non occurrat* : *at tercentorum & octodecim Epiſcoporum*, *qui in ea ſederunt*, *nomina ſingula*, *in Indice illo non repraeſentari*, *ſaepe monuimus*. *In altero eorundem Patrum Indice Arabico*, *quem Johannes Seldenus Anglus*, *in ſuo in Eutychii Alexandrini* ORIGINES *Commentario*, *edidit*, *longe plures numerantur*, *quorum penultimus eſt*, *& trecenteſimus quintus* (Arabice) = NICOLAUS MYRORUM = : *pro quo interpres oſcitantius legens ſcripſit* : *Nicolaus Meridenſis.* Hactenus Lequienius.

XLVI. Adverſus h. m. argumenta auctoritati Euſtratii innixa, atque a Lequienio pro S. NICOLAO Myrenſi adducta Cl. Falconius inſurgit, atque animadvertens, ſi haec admittantur, e loco motum iri Nicolaum Pinarenſem, quum Euſtratius ſexto Saeculo (quidquid ſit utrum medio, an in fine) floruerit ; ac Vitam S. NICOLAI, quam optime *ſaeculo* ſaltem *Eccleſiae quinto* fuiſſe conſcriptam arbitratur idem

(a) Nota heic, Falconium arbitrari a tenebrione Myrenſi haec fuiſſe Euſtratio adjecta. Vid. Cap. XII. num. I. pag. 16. Proleg., & pag. 38. admonit. (1) in Act. quod tamen a vero abhorrere citata verba ſatis aperte indicant. Myrenſis enim interpolator non ſcripſiſſet : *Sanctus Lyciae Epiſcopus Nicolaus* = ſed = *Sanctus Myrorum Epiſcopus Nicolaus*. Conf. n. LIV.. infra..

(b) Lequien. apud Falcon. pag. 60. n. 8. in Prol.

Digitized by Google

idem Lequienius, in teſtem advocat: haec, inquam, animadvertens Falconius ad eaſdem recinendas cantiunculas ſe convertit; ac primum, quod ex Euſtratio Lequienius profert *adſcititium eſſe gloſſema* contendit, ac deinde *a Myrenſi tenebrione fuiſſe aſſutum* confidenter pronuntiat. En (Falconii utar verbis) rationes, quibus ſuam demonſtrationem componit: *Propoſitum*, inquit, *eſt Euſtratii rem conficere primum ex novo & veteri Teſtamento: ſecundo a teſtimoniis Sanctorum Patrum, & rigide ſtat promiſſis.... Tertio ab Authoribus tertiae authoritatis, cet. ab Anonymis .... a Chryſippo Hieroſolymitano. Porro autem, dum poſt Baſilium cap.16. Patres proſequi vult Euſtratius; tunc Phelus* (φῆλος Latine impoſtor) *noſter illuc irrumpit, & ſua farcimina & tomenta (diffracta Patrum ſerie) temere ibi immittit. Ut autem dexterius diabaſin* (tranſitionem) *paret ſuae de Nicolao narratiunculae, Habacuc introducit e Danielis ſcriptura; & ex Actis Apoſtolicis Diaconum Philippum: quorum ille ex Hieruſalem Babylona: hic a Gaza ad Azotum, & Caeſaream in momento temporis ab Angelo ſunt adducti. Hinc ſubdit, Prophetam Ezechielem, quem in ſpiritu Dei fuiſſe Hieruſalem translatum, & poſt aliquas viſiones in terram Chaldaicam reductum denuo fatetur. Dico nunc ego: cum haec loca e novo ſint, & veteri Teſtamento inter alia, ſuperius indubie cap.9. pag.383. Euſtratius eà poſuit (cujus ſunt etiam ponderationes & verba, quae Dei nutu nobis exſcribit) non vero hic: quo inde evulſa e tenebrione, iſtuc trajecta ſunt, ut cum ſuo foedo puſione illa ferruminata, validiſſime illum fulciret, cet.* Adeo ut tota vis argumenti, quo putat Falconius aſſutum id eſſe gloſſema, in eo ſita ſit, nempe in textu Euſtratii verba ſuo loco non eſſe collocata; idcirco *ſublato gloſſemate* ejuſdem textus, quo ordine ſit reſtituendus ad calcem in Nota animadvertit. Heic ego primum miror, Clariſs. Lequienium haec non vidiſſe, Lequienium, inquam, Virum in his ſatis egregie verſatum; eo vel magis quod ſententiam adverſus eruditos noſtrae aetatis Criticos propugnaret. Vero ſimile non eſt, eum tam oſcitanter Euſtratium legiſſe, ut hoc

tam

Digitized by Google

tam patens in ſenſu Falconii, *tamque putidum gloſſema* Euſtratii textui aſſutum nulla ratione perviderit. Deinde operae heic pretium feciſſet Illuſtriſs. Falconius, ſi antiquorum Codicum fidem advocaſſet, atque in illis, quae aſſuta contendit, non legi demonſtraſſet. Praeterea admodum eſt intellectu difficile, *tenebrionem Myrenſem potuiſſe interpolare Suidam*, *aſſuere gloſſema in textu Euſtratii*, toti Chriſtiano Orbi, ut ita dicam, imponere, quin ab uno vel altero e coaevis Scriptoribus, vel parum ab eo remotis, ejus commenta fuerint detecta vel ope Codicum antiquorum, vel alia quacumque ratione. Quod utique, inquam, non modo intellectu difficile, ſed potiſſime a vero abhorrere cuique videbitur. Liceat ergo mihi animadvertere, quod cum Cl. Falconius (*a*) referat in eo Opere quaedam Euſtratii *trajecta* & turbata haberi: quid vetat quin dicamus, Euſtratium, quae ex novo & veteri Teſtamento producit, ſuo loco cap. 9. collocaſſe, atque ibidem pauliſper divertendo, ſi divertere id ſit dicendum, ſcripſiſſe quoque: *Simile quid ſub Conſtantino Magno Imperatore peractum invenimus, cet.* Imperitum vero aliquem Librarium, putantem haec ad Patres melius referri, poſt Baſilium, quem ſaeculo IV. floruiſſe conſtat, una cum *Diabaſi*, ut verbis loquar Falconii, ſive tranſitione, ea tranſtuliſſe? Numquid uſuvenire ſaepe id non videmus? Nihil enim in antiquis Codicibus tam facile eſt reperire. Porro, ſi haec Cl. Falconio ſatis non faciant, unde probat, Euſtratium poſt S. Baſilium non potuiſſe ſcribere, quae modo leguntur? At enim, nimis rigide Euſtratius, quae propoſuerat, obſervat. Sed numquid in Auctoribus ita ſunt omnia ordinate, atque ad *methodi* leges pertractata, ut nullum diverticulum aliquando permitti poſſit? Quam multa h. m. in Scriptoribus ceteroquin emunctae naris invenire eſt! Numquid idcirco gloſſemata dicenda ſunt? Sed haec doctioribus expendenda relinquo. Ceterum quoniam ejuſmodi argumentum Cl. Falconio eſt admodum familiare; *ſuſpe-*

(a) In Prol. pag. 59. n. IV.

Digitized by Google

ſpectum etiam, imo nullius ponderis dicendum eſt. (*a*) Quod vero Lequienium carpat (*b*) quaſi Eutychii Alexandrini ſibi *textum accomodet*, alii viderint, utrum recte id procedat, necne: mihi obſervare ſat eſt, Falconium omnes ſive textus, ſive libros ſuſque deque perturbare, ut Nicolaum Myrenſem e loco moveat, & Pinarenſem ſubſtituat, ut mirari quiſque jure ac merito poſſit Falconio licere, quae ipſemet aliis nullo modo licere contendit, eo vel magis, quod alii id efficiunt nullam vim verbis adhibendo; ipſe vero violenter ea perturbat, ut inferius manifeſtum fiet. Quamobrem donec idem Falconius clariora argumenta non adducat, quibus & teſtimonium Euſtratii ejuſdem textui aſſutum eſſe, atque Eutychium Alexandrinum fuiſſe falſum, vel ejus textum non ita, ut facit Lequienius, legendum eſſe demonſtret: nemo jure poterit S. Nicolaum Myrenſem ea praeſcriptione privare, qua per tot ſaecula, ſuffragantibus Scriptorum teſtimoniis non contemnendis uſus eſt, ejuſque loco toti antiquitati ignotum Nicolaum alterum ſine piaculo ſubſtituere.

XLVII. Nunc reliquum eſt, ut Theodori Myrenſis de S. Nicolao in II. Nicaena Synodo ſeculo octavo an.787. expendatur teſtimonium, de eo pertractat Cl. Falconius in Prolegom. (*c*) En teſtimonium pro ut legitur Act. IV. Concilii praedicti (*d*): *Theodorus SS. Epiſcopus Myrorum dixit: quia & ego praeoſtenſae hiſtoriae ſimilia paſſus ſum: nam cum injuriam paterer a quibuſdam principalibus manibus dixit mibi Archi-*

(a) Pag.60. Prol.n.VIII. Nota, heic Cl. Falconium ſatis ſe prodere quo animo ſit adverſus Lequienium. Scribit hic Auctor: *Eſto Nicolai Myrenſis nomen in Latino Nicaenorum Patrum Indice non occurrat*. Falconius eum ſuggillat in parentheſi notans: *quaſi in Graeco aliquo Indice occurreret*. Lequienius bene notat, Graecas Concilii Nicaeni ſubſcriptiones numquam repertas, quod ipſe Falconius etiam ait pag.26. Prol. n.IX. *Inter ſubſcriptiones Latinas* (Graecae *namque nunquam repertae ſunt*) *cet.* ut hinc quoque Falconii inconſtantiam agnoſcas. Cum igitur non extent Graecae, nonne oportuit dicere: *in Latino Nicaenorum Patrum Indice?* Si dixiſſet: *in Graeco, cet.* tum certe illum carpere poſſet notando, quaſi aliquis Graecus index extaret.

(b) Cit. pag. 60.

(c) Pag.14.

(d) To.8.Concil.875.876.edit.Ven.

Digitized by Google

Archidiaconus meus, vir religioſus, ac timens Deum: quia vidi Patriarcham in viſione dicentem, quia aſcendat ad nos Metropolita, & omnes res ejus diſpenſabuntur, ut expedit ei. Interrogavi ergo ego Archidiaconum dicens: quali forma apparuit tibi Patriarcha? & reſpondit mihi: quia rubicundus facie, & ſenili coma. Ajo ego ei, quia Patriarcha non eſt talis viſionis (formae ad marg.) *ſed veſtis habet Sancti* Nicolai *imaginem: & bene aſſeris. Nam hujuſmodi formae eſt, quem vidiſti. At ille reſpondit mihi, quia etiam talis revera formae vidi virum, qui haec mihi locutus eſt. Ex hoc ergo cognovi, quod* S. Nicolaus *ei apparuerit, per ſimilitudinem, quae in Icona erat. Mox ergo credens verbo, aſcendi ad Deo conſervandam Regiam Urbem: & omnia negotia mea, quae meo pertinebant Epiſcopio, facta ſunt apta.* Hactenus Theodorus. Heic ego primum cum legiſſem Falconium, putabam, poſſe ex h.m. teſtimonio argumentum deduci, S. Nicolaum, de quo eſt quaeſtio, *Metropolitam* heic exhiberi. Cum enim Archidiaconus Patriarcham non agnoſceret, ut ex ſupra relatis liquido apparet, ſi quem in viſione viderat, Patriarcham appellat, utique is Patriarchalibus ipſi veſtibus indutus apparuit, pallio nimirum ornatus. Cum vèro Theodoro *Metropolitae* acquieſcit, & quem viderat in viſione pro S. Nicolao habet, cujus *Iconi* forma, quae apparuerat, erat ſimilis; imago quoque S. Nicolai ornata eſſet pallio oportebat; ſecus enim, quomodo tam facile Archidiaconus in Theodori ſententiam pedibus iviſſet, ſi Pontificalia ornamenta ſimilia non fuiſſent. Quae hac ratione mecum reputans, èx verbis Theodori Nicolaum *Metropolitam* exhiberi arbitrabar: eo vel maxime, quod pallii uſus antiquiſſimus ſit, cum Liber Pontificalis apud Baronium (*a*), a S. Marco Pontifice conſtitutum narret, ut Epiſcopus Oſtienſis pallio uteretur: adeo ut pallii origo antiquior ſit eodem Summo Pontifice, qui ordinatus fuit die 18. Januarii An. 336.

K & de-

(a) Ad ann. 336. n. LIV. Pagius Brev. Pontif. in S. Marc. n. 1. *Liber Pontificalis ipſi acceptum fert, quod Epiſcopus Oſtienſis Romani Pontificis conſecrator pallio utatur.*

& deceſſit menſe Octobri ejuſdem anni ex Pagio (*a*); & praeterea liquido conſtet, h. m. ornamentum citius fuiſſe Metropolitanis Graecis communicatum, quam Latinis. Saltem Imago S. Nicolai erat hoc ornamento induta Saeculo VIII., tempore nimirum Theodori Myrenſis, quod ex eo etiam conjiciendum arbitror, quod apud Bollandianos (*b*) in Majo Moſchorum figurato ad diem IX. ejuſdem menſis, Imago S. Nicolai pallio ornata videatur cum hac inſcriptione: HIKOΛα quam Cl. Papebrochius vertit : *S. Nicolaus Epiſcopus*. In Decembri quoque Moſchorum figurato ad diem VI. ejuſdem menſis, Imago iterum S. Thaumaturgi pallio ornata conſpicitur, atque inſcriptum legitur S̄. HIKOΛα *Nicolaus* ✠ *Epiſcopus Myrenſis*, ut laudatus Papebrochius vertit, ac ſubdit: *Quam ſingulari cultu Sanctum hunc venerentur Rutheni* (confer heic n.XLIII.) *non ſolum legimus apud Poſſevinum, & alios, ſed etiam in eorum Diptychis, Triptychiſque videmus, in quibus omnibus invenitur* S. Nicolaus, *& ferme primo, & potiori inter Sanctos ejus Ordinis loco. Sed & hoc a Graecis didiciſſe eos probare poteſt Pictura Graecanica ex Pariſienſi S. Genovefae gazophylacio inferius exhibenda. Eum*, inquit Poſſevinus, *non ſolum depictum, verum etiam paene totum deſculptum* (*res alioquin rara apud Moſchos a ſtatuis formandis juſto alieniores*) *vidimus apud Novogardiam magnam* (*c*). Praedictam autem S. Nicolai imaginem ex Tabella Graecanica deſcriptam, una cum SS. Chryſoſtomi & Baſilii imaginibus, prout in eadem tabella exhibentur, heic appoſitam videre quiſque, atque inde deducere poterit, quo celebri cultu Graeci, Moſchique fuerint S. Nicolaum Myrenſem religioſiſſime proſecuti : confer (n.XXXIII.)

Sed

(a) Loco citato.

(b) Tom. I. Maii, ubi praemittuntur Ephemerides Graecorum metricae, & Moſchorum figuratae Edit. Ven. 1737. pag. XXVIII. & pag. LVIII. in Decembr.

(c) Ut piis S. Nicolai Cultoribus gratificemur, reliqua verba, quae Cl. Papebrochius eodem loco adfert, heic exſcribere placuit. *Vocant autem*, inquit, *S. Nicolaum* Czudothvvoretz, quaſi Θαυματουργον (Thau„maturgum). *Itaque* de plurimis ejus „miraculis, *inquit Sigiſmundus Herbe*„*ſtenius* quotidie praedicant : quorum „unicum, quod non ante multos an„nos contigit (*ſcribebat autem Sigiſ*„*mundus circa ann.* 1549.) placuit hic

Digitized by Google



Gautier Sculps.

Digitized by Google

Sed redeamus ad illud, unde divertimus. Quamquam haec, quae de Imagine S. Nicolai attulimus, ſufficere mihi pro re conficienda, arbitrabar: re tamen paulo accuratius examinata, cum animadvertiſſem, & Romanos Pontifices Epiſcopis quoque h. m. ornamentum, vel intuitu meritorum, vel alia juſta de cauſa conceſsiſſe; apud Orientales vero, Patriarchas ejus uſum Metropolitanis, Metropolitanos Epiſcopis a ſe ordinatis (*a*) impertiiſſe, neque tam facile determinari poſſe, quo primum tempore id fieri coeptum ſit: nihil inde confici poſſe cognovi, remque melius expendendam reliqui, ne incerta, atque dubia ad *Syſtema* Falconianum evertendum, attuliſſe videamur.

XLVIII. Sed ad Falconium ipſum redeamus. Is arbitratus eſt, (*b*) vulgo omnes ex laudato teſtimonio, omnes, inquam, ex *praeconceptis praejudiciis* opinari, S. Nicolaum *Metropolitam* fuiſſe Myrenſem, ſed tamen id ſuis Actis *negotium faceſſere videbitur illi, qui Graece neſciat* (*c*): idque ortum putat ex Anaſtaſii Bibliothecarii ſaeculo IX. Verſione, quae *haud eſt fida, & non exprimit vere Graeca,* (*d*) Verſio autem haec eſt: *Theodorus Myrorum Epiſcopus dixit: ego quoque non multum diſſimilia paſſus ſum. Nam cum aliquando ab Aulicis quibusdam injuria eſſem affectus, venit*

„ hic adjungere. *Michael quidam* Kyſalitzki, Vir magnus, ac ſtrenuus, in „ quodam conflictu Tartarico, quemdam magni nominis Tartarum fugientem eſt perſecutus: quem cum „ citato equi curſu aſſequi non poſſet, „ Nicolae, inquit, perduc me ad hunc „ Canem. Tartarus haec audiens, territus exclamat: Nicolae, ſi hic tuo „ auxilio me aſſequetur, nullum miraculum facies: Si vero me, alienum a tua fide, ab illius perſecutione incolumen ſervaveris, tum magnum erit nomen tuum. Aiunt, „ Michaelis equum reſtitiſſe, Tartarumque elapſum: Tartarum quoque „ deinceps Nicolao, ob incolumitatem „ ſuam, in ſingulos Vitae ſuae annos, „ certas menſuras mellis obtuliſſe; totidemque menſuras miſiſſe Michaeli „ pariter, in memoriam liberationis „ ſuae, adjecta etiam honoraria veſte „ ex *pellibus Madauricis*. Sed hoc miraculum jam pridem narraverat P. Beatillus lib. 7. cap. 8.

(a) Tomaſin. de diſc. Eccleſ. p.3. lib. 1. c. 24. Van-Eſpen Jus Eccleſ. univ. P. 1. Tit. XIX. c. V. Vid. Morer. verb. Pallium, & Pag. ubi ſupra n. IV.

(b) Pag. 14. n. 3.

(c) Ibid. n. 1.

(d) Ibid. num. 1. & 2.

Digitized by Google

nit ad me Diaconus meus, Vir pius, & timens Deum, retuditque: In ſomnis ſibi viſum Metropolitanum noſtrum pollicentem negotiis meis expectatum finem, & ſucceſſum. Ibi mihi inquirenti: qua effigie viſus ſibi eſſet Patriarcha? Reſpondit: Facie rubicunda, & capite cano. Inquam ego: non eſſe eam Patriarchae ſimilitudinem, ſed Divi Nicolai imaginem, quemadmodum fertur. Reſpondit tum is mihi, me recte dixiſſe: ſic enim circumfertur ejus imago paſſim expreſſa, quemadmodum mihi in ſomnis adſtitit. Mox itaque confiſus ſermonibus, in Sacram, & Regiam Urbem profectus, res, quæ ad Epiſcopatum meum pertinebant, ex animi ſententia complevi.

XLIX. Quamobrem Cl. Falconius hanc aliam verſionem a ſe factam exhibet: *Theodorus Sanctiſſimus Epiſcopus Myrorum dixit: Praedictae narrationi ego ſimilia expertus ſum. Cum enim a quibuſdam Primoribus quaedam paterer, meus Archidiaconus Vir pius, ac timens Deum, mihi dicit. Vidi Patriarcham in viſione dicentem mihi; ad nos veniat Metropolita, & omnia ejus, ut ei expediet, componentur: Ego autem Archidiaconum interrogavi: quo ore, qua forma tibi apparuit Patriarcha? Iſque reſpondit mihi: Ore rubicundus, coma ſenili. Ego tunc ei dico: non eſt ejus imaginis Patriarcha: quin ille habitus refert potius Sancti imaginem Nicolai, qui eſt formae ejuſmodi, ut narraſti. Ac ille reſpondit mihi: Ita ſane verum eſt: tali namque forma praeditum illum vidi, qui haec mihi locutus eſt. Ex hoc ergo cognovi, ex ejus ſimilitudine cum imagine, Sanctum ei Nicolaum apparuiſſe. Mox itaque credens ſermoni ejus, ad conſervatam a Deo Regiam perrexi Urbem, & cuncta negotia, quæ meo pertinebant Epiſcopio feliciter expedivi.* Sed ut omni laude dignum alii (quod certe per me licet) judicent Cl. Falconium, quod rebus illuſtrandis totus incumbere videatur: in eo tamen neſcio quid moroſi deprehendi, niſi me mea fallat opinio, acutiores Viri fatebuntur. Primum enim quam ipſe Anaſtaſianam Verſionem arbitratur, quamque ſupra exhibuimus, (n. XLVIII.) eam eſse Gylberti Longolii, qui eam primus Coloniae edidit anno 1640., manifeſte patet, ſi vera ſunt, quae Harduinus ad-

adnotavit (*a*); qui itidem monet, eam falſo antiquam exiſtimatam eſse, quemadmodum ibidem *vulgatam, & antiquam* vocat Philippus Labbeus. Adeo ut Anaſtaſiana dicenda ſit, quam nos adduximus heic (num. XLVII.) Confer quae in citato ad marginem Tomo Conciliorum col. 674. & in Notis Binii leguntur col. 1301. & reliquas ejuſdem notas. Confer etiam *Anaſtaſianam* ad mentem Falconii: *Verſionem* (cit. num. XLVIII.) cum illa Longolii, & deprehendes, unam eandemque eſſe, niſi quod apud Falconium legimus: *ejus Imago:* in Longolii: *illius imago:* in illa: *complevi*, in hac: *compoſui*. Cetera vero omnia eadem ſunt (*b*). Sed cuicumque tandem Verſio h. m. ſit tribuenda, videamus deinde quid amplius in ſua Verſione praeſtiterit Falconius, quod Anaſtaſius, vel Longolius non praeſtitit.

L. Duo in Longoliana, ſi quid video, leguntur, quae prima facie in Anaſtaſiana, & Falconiana diverſa apparent, quod in illa ſcriptum ſit: *Diaconus meus*, &: *Metropolitanum noſtrum*: in his vero: *Archidiaconus meus*, &: *Patriarcham* ſolummodo legamus. Reliqua vero ut ut diverſis vocibus alicubi reddita, ſententia tamen, eadem ſunt. Et quidem quod *Diaconus* legatur, non *Archidiaconus*, leviſſima mutatio eſt: omnes enim norunt, Diaconorum principem *Archidiaconum* vocatum, cumque ibi *Metropolita* dicat: *Diaconus meus*, quisque videt, ibi de *Archidiacono* ſermonem haberi. Pronomen enim illud *meus* peculiare aliquid de Diacono denotat. Et re quidem vera S. Laurentius Diaconus, ſive Miniſter S. Xiſti Pontificis vocatur; (*c*) de eo tamen in Martyrologio Rom. ad diem 10. Auguſti legimus: *Romae*

via

(a) Tom. 8. Concil. edit. Ven.col. 1311. ad calc. in marg.

(b) Falconium fortaſſis fefellit Nota marginalis e regione inſcriptionis col. 1312. ad verb. *editio*, ubi ſcriptum: *Hanc verſionem, Anaſtaſianae Graeco textui e regione reſpondenti, praemiſit Regius Collector: nos ne quid a Romana anni 1608. & Biniana an. 1618. Editionibus recederemus, eamdem ſubjungimus.* Oſcitanter ni fallor legit: *verſionem Anaſtaſianam*; niſi malis Longolianam, quia a Regio Collectore Anaſtaſianae praemiſſam, pro Anaſtaſiana a Falconio, qui ea uſus, habitam.

(c) *Quo progrederis ſine filio, Pater? Quo Sacerdos Sancte ſine Diacono properas?* Clamabat S. Laurentius apud S. Ambros. lib. 1. offic. cap. 41.

Digitized by Google

via Tiburtina Natalis Beati Laurentii Archidiaconi. Praeterea Auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum poſtquam Diaconorum officia retulit, ſcribit: *Ceterum ſit Diaconus Epiſcopi auris & oculus, & item os, & cor, & anima, ne Epiſcopus ſolicitudine multarum rerum, ſed graviorum tantum, augeatur* (*a*) quod certe de Archidiacono intelligendum; cum hic proprie ſit Epiſcopi Miniſter, atque in Epiſtola Innocentio III. tributa: Epiſcopi *oculus* (*b*) vocetur; quemadmodum & in Concilio Tridentino (*c*). Adeo ut recte; atque ex Canone in Longoliana Verſione habeatur: *Diaconus meus*. Quod verò ad *Metropolitanum noſtrum*, ut alia omittam, Patriarcha Metropolitanorum Metropolitanus eſt (*d*). Praeterea, numquam legi, quempiam fuiſſe, qui hoc Theodori teſtimonio utatur ad probandum, S. Nicolaum fuiſſe Myrenſem *Metropolitam*. Memini me quidem legere, Eminentiſ. Baronium, dum de S. Nicolao in Annalibus agit, teſtimonium h. m. referre; ſed, ſi memoria valeo, nuſquam ibi laudatus Annalium Parens illud ad indicandam ejus *Metropoliticam* dignitatem adhibuit. Tandem videamus, an verba Theodori Myrenſis ex Verſione Anaſtaſiana, ſeu potius Longoliana, id efficiant, ut, quemadmodum Falconius arbitratur, interpretari poſſint. Sane etiamſi legas *Metropolitanum noſtrum, quiſque, niſi caudex, ſtipes, bardus, plumbeus fuerit*, probe videt, ad S. Nicolaum referri non poſſe. Is enim qui primo Metropolitanus dicitur poſt alterum verſum Patriarcha vocatur. Utraque igitur vox eundem denotat. *In ſomnis ſibi viſum Metropolitanum noſtrum:* &. poſt pauca: *qua effigie viſus ſibi eſſet Patriarcha?* Sed diu non eſt in

(a) lib. 2. cap. 44.

(b) In cap. 7. de offic. Archidiacon. Vid. ibi Gonzalez in not. (a)

(c) Seſſ. 24. de reform. cap. 12. Id vero Innocentius III., ex quo Canoniſtae, deſumſit ex Epiſtola B. Clementis Papae, quum Interpretes dicunt eſſe quam miſit ad Jacobum fratrem Domini, eam tamen ſuppoſitiam eſſe Eruditi tradunt. Vide Pagium in Breviar. Pontif. in S. Clemente n. IV. et ſeq. ubi etiam de Conſtit. Apoſtolicis.

(d) Ex Valeſio apud Juvenin Commentar. de Sacram. diſſert. IX. q. I. art. 2. de Patriarchis pag. 575. col. I. edit. Venet. 1730.

his immorandum, Falconius, quum totus incumberet, ad evertendum NICOLAUM Myrenſem, forte haec attentius ad examen non revocavit; ac Nicolao Pinarenſi timens, ſuo *Syſtemati* teſtimonium hoc opponi poſſe putavit, atque idcirco integro capite decimo ei occurrendum arbitratus eſt; perſuadere enim mihi non poſſum, quare Vir eruditione inſignis inde novam ſibi laudem parere voluerit, hoſtem fingendo, ut de parta victoria triumphum glorioſe agere poſſet.

CAPUT VII.

Breviarium Romanum vulgatis de S. NICOLAO *Myrenſi Actis mirifice favet. Ejuſdem Breviarii Auctoritas in factis hiſtoricis parvi non eſt facienda.*

LI. QUamquam ea omnia, de quibus hactenus diſſeruimus, ſatis ſint, ſi non ad revincendos Viros in Critices arte nimium verſatos, ad perſuadendos tamen homines dociles, eoſque qui neque omnia ad vivum reſecare ſolent, neque ſupra quam decet in hiſtoricis factis credulos: operae vero pretium eſſe duxi, pauca heic de Breviario Romano in medium proferre, ejuſque Auctoritatem de re, qua de agimus, aequa rationis lance breviter expendere. Scio quidem Cl. Falconium haec tamquam contemnenda flocci facere, quod Criticos noſtri Aevi celebres ſectando, idem cum illis judicium, de Breviario Romano proferre deceat. Pro omnibus *P. Alexander*, ut loquar cum P. Honorato (*a*) *locis haud paucis ſe ſe nullo expedit negotio ab iis, quae uno Breviarii Romani teſtimonio firmantur; Numquid auctoritas Breviarii Romani*, *ait*, *efficere poteſt*, *ut fabulae in hiſtorias evadent?* Ego tamen, ut aequo jure cum Cl. Falconio me con-

(a) P. Honor. to. 2. lib. 1. diſſert. 11. §. 111. pag. 33.

Digitized by Google

contendere ſatagam, ad ſapientiſſimi, atque itidem doctiſſimi Cardinalis Lambertini, hodie Summi Pontificis Benedicti XIV. regulas rem definiam, ut cujus patrocinium in ſui Operis fronte jure, ac merito imploravit, ejuſdem quoque ſapientiam ſolidam, non fucatam, ac numeris omnibus abſolutam doctrinam, judiciumque, ac prudentiam ſequatur. *Sed quatenus*, inquit ſapientiſſimus Cardinalis, (*a*) *per mediam viam, quae tutior eſt, incedendum ſit, videtur quidem tuto pede aſſeri poſſe, non modicum Auctoritatis pondus factis hiſtoricis accreſcere, quæ relata ſunt, & approbata in Breviario Romano (ecquis enim de hac Aſſumptione poterit dubitare, poſtquam certum eſt, Breviarium Romanum pluries fuiſſe recognitum atque emendatum, habito tot Virorum pietate, & doctrina illuſtrium conſilio?) Attamen ita, ut vetitum exiſtimari non poſſit, debita cum modeſtia, & non ſine gravi fundamento, quae contingunt in factis hiſtoricis, difficultates exponere, eaque judicio Sedis Apoſtolicae ſupponere, ut eorum ſubſiſtentiam perpendat in hypotheſi, quod manus iterum admoveatur ad Breviarii Romani correctionem: quae porro videtur eſſe ſententia plurimorum, qui de hiſtoriis relatis in nonnullis Lectionibus ſecundi Nocturni Breviarii Romani dubitare viſi ſunt.* Ex quibus ſapientiſſimi Viri verbis quiſque apertiſſime cognoſcit, quam magni ſint ponderis, quae hactenus pro S. Nicolao Myrenſi in medium attulimus, quando iis Breviarii Romani Auctoritas ſatis plene adſtipulatur. Et re quidem vera, ſi conferamus, quae in Lectionibus ſecundi Nocturni ad 6. Decembris in Breviario Romano de S. Nicolao leguntur cum iis, quae S. Methodius, Leo Imperator, & Metaphraſtes de genere, Patria, opibus, *Metropolitica* dignitate, aliiſque praecipuis geſtis S. Nicolai Myrenſis narrant, ita omnino conveniunt, ut jure, meritoque aſſerere poſſimus, Cl. Falconium cum ſuis Actis Primigeniis bellum non adverſus Acta jam vulgata celeberrimi Thaumaturgi, ſed contra Breviarium Romanum mo-

L

(a) De Canoniz. SS. lib. IV. Par. II. Cap. 13. n. 5.

moviſſe . Non nego, equidem licitum eſſe in facta hiſtorica inquirere, quemadmodum Viri in Critice apprime verſati fecerunt, ſed, id *debita cum modeſtia* , *& non ſine gravi fundamento* , atque ita, ut *Judicio Sedis Apoſtolicae* omnia ſupponantur. Quod an factum a Cl. Falconio, id eſt quidem, quod nunc expediendum eſt. Primum autem Falconius in *Epiſtola Dedicatoria* ad Summum Pontificem ne verbum quidem profert, quo omnia, quae de S. Nicolao nova atque inaudita aſſerit , ejuſdem SS. Pontificis judicio ſupponat. Deinde excurrit quidem in ejuſdem laudes, in quo Falconium magnopere diligo ; ſed proprias tamen laudes non omittit , dum ſcribit : *Fortunae dumtaxat fuiſſe Tuae* , *me in Zonara detexiſſe*, *edidiſſe* , *Tibique primam dicaſſe* , *Dionis Caſſii hiſtoriae Romanae Epitomen. cet.* & infra: *quod modo autem SOLITA AUDACIA*, *cum gaudio magno Eccleſiae Tibi iterato offero*: *Primigenia*, *& veriſſima Geſta ſunt Sancti & Thaumaturgi Nicolai* . Patrocinium porro implorat , Pontificis Majeſtatem exorat , ut defendat munuſculum , quod offert. De reliquo ne verbum quidem . Demum claudit , fateor, Prolegomena (*a*) de S. Nicolao ſolito ſtilo , ſolitaque dicendi libertate , vel, ut ipſe ait , *audacia*: *Haec*, inquit , *mea ſententia in Nicolao* , (*velut in mea Vinea*) *non indigna*, *reor*, *homine Chriſtiano*. *Hi mei Faſciculi : quos lubens*, *merito*, *& devote Gentium majorum ſubmitto Faſcibus laureatis*. *In omnibus & per ſingula* (*quocumque tandem me caſus ferat*) *judicio immortali Sanctae Matris Eccleſiae* , *alacri*, *promptoque animo* , *me remitto* : attamen , ut dicam, quod ſentio , ſatis haec generatim Cl. Vir profitetur.

LII. Profecto nemo eſt, qui judicio Eccleſiae, ſe ſuaque non ſubmittat, quaecumque res ſit, de qua differit , dummodo ſe & verbo, & re Catholicum exhibere velit. Peculiaria Archiepiſcopum Falconium addere decebat, atque aliqua ſaltem honorifice , ut par eſt , de Breviario Romano praefari, atque in omnibus Sanctiſſimi Pontificis , cui Opus dicavit,

(a) Pag. 31.

Digitized by Google

cavit, regulas tenere. Neque enim agitur in ſuo Opere de aliquo *Facto hiſtorico*; ſed Cl. Vir in *Sancti* locum per tot Saecula ab Eccleſia Catholica Romana, ut de Graeca ſileam, conſtanter culti, Virum, quem nunquam, quod ſciam, Latina, vel Graeca Eccleſia, ut Sanctitate conſpicuum agnovit, ſubſtituit. Quod certe non hiſtoricos tantum, qui aliter, quam Acta a ſe edita dictant, res de S. Nicolao narrant, ſed Breviarium quoque ipſum ſine dubio tangit, & tacite carpit, dum non Nicolaum Myrorum Archiepiſcopum, quem hactenus Eccleſia venerata eſt, ſed Pynarenſem Epiſcopum Latinae Eccleſiae, praecipuiſque in hiſtoria verſatis Viris hactenus ignotum in Sanctorum Catalogum refert. Quae certe eo magis heic locum habere videntur, quod Illuſtriſſimus Falconius unicum tantum Nicolaum Sanctitate, miraculiſque celebrem agnoſcat, eundemque Pinarorum Epiſcopum. Porro autem, ut dicam quod ſentio, ſi Cl. Vir in id ea, qua pollet, eruditione incubuiſſet, ut difficultates inquirendo exponeret, eaſque Sedis Apoſtolicae, ut par eſt, judicio ſupponeret, ea quidem ratione, qua id fieri permiſſum eſſe laudatus Eminentiſsimus Cardinalis de Lambertinis ſumma ſapientia, prudentiaque tradidit: injuria tum quiſpiam de eo quereretur. Nunc quoniam nulla in Falconii Opere pagina occurrit, in qua rem ſe definire non oſtendat; ne me *Conſequentiarum Fabrum* (*a*) appellet, rogo, ſi id idem eſſe dixero, atque aſſerere, falſos, & hallucinatos tot fuiſſe clariſſimos aeque, ac doctiſſimos viros doctrina, pietateque celebres, qui Breviario Romano recenſendo, emendandoque, operam utique egregiam navarunt (*b*). Haec revera ex Fal-

L 2 co-

(a) *Conſequentiarum fabros* vocat Cl. Chriſtianus Wolfius Phyloſ. Rat. §. 1046. *Not.* eos, qui conſequentias fingunt, quas ex propoſitionibus impugnatis fluere nullo modo demonſtrare valent. cet.

(b) Sapienter Florentinius admonit. II. ad ſuum Martyrologium: *Ceterum etſi aliqua videantur animadverſione digna, non cuiuſque juris eſt cenſorem agere, ſed expectandum, quo uſque re mature diſcuſſa, emendationem, ſi opus eſt, Eccleſia ipſa decernat*. Apud Eminentis. Cardinal. Lambertin. lib. 4. Par. 2. cap. 16. num. 9.

coniano *Syſtemate* ſequuntur, & conſequenter parum ſibi conſulere videtur Falconius, dum rejectis omnibus, quae ſuo Nicolao Pinarenſi extollendo, ac publico cultui exhibendo, & firmando ſuo novo, inauditoque *Syſtemati*, negotium faceſſunt; interim generatim nihil de Breviario Romano praefatus,de ejuſque auctoritate (*a*); frigide, ut ita dicam, & quaſi reluctans, & cunctabundus ſua omnia Eccleſiae judicio ſupponit; Quae ſecundum prudentiae praeſcriptum ad h. m. factorum veritatem eruendam, definiendamque, aut raro deſcendit; aut quando Breviarium emendationi ſubjiciendum eſſe decernit; quod rariſſime etiam multas, eaſque graves, ob cauſas evenire ſolet; ideo, dum id a piis S. Nicolai *Metropolitae* Myrenſis cultoribus expectabitur, interim (*b*) non ſine injuria Pinarenſem in Myrenſem, Acta a Falconio edita in Antiqua jam vulgata, decertare videbimus, ac *Metropolitam* e ſua poſſeſſione depulſum, ut Epiſcopo Suffraganeo, etſi piiſſimo fortaſſis

(a) Falconius Proleg. pag. 31. n. 8. ſcribit: *Ipſe igitur nunc colitur, ſub perſona & larva Myrenſis Metropolitae, & Thaumaturgi: & cultum ei reddit Magiſtra Eccleſia. Recordemini objectum cultus. Pura inventio; Patria, genus, opes, cet.* Quis hanc poteſtatem Falconio dedit, ut declaret, quiſnam ex Nicolais cultum obtineat in Eccleſia? Quanto ſapientius Benedictus XIV. Summus Pontifex, qui in litteris Apoſtolicis ad Joannem V. Portogalliae Regem noviſſime editioni Martyrologii Romani a ſe auctae, & caſtigatae praefixis §. v. ſcribit: *Ne autem in id, quod in aliis olim reprehendimus, improvidi dilaberemur, mandavimus, ut ex Actis Sacrorum Rituum Congregationis decreta omnia de Sanctorum nominibus Martyrologio inſcribendis huc uſque edita colligerentur, cet.* Sed difficile iis, qui *Syſtemata* componunt, praeclara *prudentiae documenta in mentem veniunt*.

(b) Legatur Falconius *pag.* 25. *Prol. num.* 5. dum oſtendere conatur Myrenſes de S. Nicolao cudiſſe fabulam, atque *horrenda ingentia monſtra, quae Sanctorum nemo unquam feciſſe legit*. Tum pergit. *Hujus Meduſae caput reddidit omnes ſaxeos; non me vero, Deo adjutore collaborante, cet.* Legantur reliqua uſque ad finem num. & clare quiſque perſpicere poterit, Falconium, Romanum ipſum Breviarium ibi impetere, cum in eo haec *horrenda*, ut vocat, *monſtra, quae Sanctorum nemo unquam fecit, legantur*. Idem judicium eſto de iis, quae habet *pag. 29. num. 4. cap. 16. Cultum equidem ab Eccleſia* Nicolaus *ille Nicenus extorquere non potuit, utpote commentitius, & undique fabuloſus*. Neſcio etiam quid velit *pag. 31. num. 9.* illis verbis: *Palpum vero, fucum potius, me obtrudiſſe, & feciſſe Eccleſiae deprehendo, tenebris magis hiſtoriam offudiſſe, dielationeſque pro tot eorum corporibus vindicandis.*

Digitized by Google

taſſis Viro, hactenus tamen ignoto, locum cedere per vim cogatur. Si id eſt veritatem inquirere, atque Sanctorum Acta fabulis expurgare, brevi pleroſque pietate, ac Miraculis toto terrarum Orbe Inſignes e Sanctorum Catalogo motos videbimus; aut minimum, ſi Criticos hoſce audias, nulla aut pauca de Sanctorum Vitis, ſi teſtimonio coaevi Scriptoris deſtituantur, tamquam probabilia admittenda ſunt.

LIII. Quamobrem, quum Illuſtriſſimus Falconius omnia, quae de Sancto Nicolao in vulgatis Actis narrantur, licet tot pietate, doctrinaque celebres Hiſtorici, totque ſaeculorum non contemnenda Traditio reclament, veluti commenta reputet, vere de Criticorum more, qui pleraque Sanctorum facta ad fabulas amandare ſolent, aut velut incerta habere; vere, inquam, atque ad rem ſcripſit Clar. idemque doctiſſimus Mazochius (*a*): *Quae contagio utinam non hodie ſerperet, per quam quae reſtant adbuc Antiquitatis laciniae, eae nec flamma abſumtae, nec arroſae tineis, nunc poſtremo cum Pyrrboniſmo luctantur.* Quanto modeſtius idem Mazochius, qui in Admonitione ad Acta S. Januarii & Socior. Martyr.: *Sincera deinde*, inquit (*b*), *& illud ante omnia profiteor, atque ex animo teſtatum volo, me nihil de vulgatis huc uſque Actis, eorumque prodigiis detractum velle, cet.* Si id quoque Cl. Falconius praeſtitiſſet, operae certe feciſset pretium. Nemo enim de eo queri jure, meritoque poſſet, ſi ad veritatem eruendam Acta a ſe inventa edidiſſet, ac ſuas itidem Animadverſiones; nihil tamen definiendo, modeſte Viris doctis, iiſque piis propoſuiſſet examinandas, de quo iis, quae in Romano Breviario de Sancto Thaumaturgo leguntur, nihil detractum ſe velle, honorifice profeſſus eſſet. (Conf. n. LII.) Sed fruſtra a Viris Critices ſectatoribus, fruſtra, inquam, id ſperes. *Etenim Critici*, inquit Cl. P. Honoratus (*c*), *noſtrorum temporum cum in id intenderint, ut Patrum de piis iſtis*

(a) In Comment. ad Kal. Neapol. ad IX. April. in not. pag. 179.
(b) Loco cit. poſt menſem April. ad finem Admonit. pag. 268.
(c) Animad. Crit. To. 2. lib. 1. Diſſert. 2. art. 4. §. 3. pag. 32.

iſtis opinionibus auctoritatem convellerent, nihil praeterierunt, ut e Martyrologiis, & Breviariis ductas probationes enervarent, in quibus vetuſtae iſtae Traditiones ſervatae ſunt; prae ceteris vero vires ſuas eo contulerunt, ut de Breviarii Romani dignitate derogarent, quod ipſis dignius viſum eſt objectum ſtudii ſui, cet. Haec vero ad creandam Illuſtriſſimo Falconio invidiam a me dicta nolim quiſpiam putet. Ipſe enim Cl. Vir ſatis aperte prodit, quo in pretio vulgata S. Nicolai Acta ſint habenda, dum *Verum ipſis*, inquit (*a*), *non parum eſt praejudicii, quod a Methodio primum* Nicolai *ſui ſcribatur Vita (inſcio etiam de tempore ejus obitus) anno demum circiter* 842., *poſt quingentos annos a Conſtantino. Poterat, quaeſo, tam longo tempore illibata ſervari vocalis traditio in ore vulgi? Hoc tam facile, quam medio coeni ſervare lactem, byſſinæ, ejuſmodi alia, non corrupta. Methodius ſua repetit a rumuſculis: ſcripta vero, tantum a lavernionibus primis., Stratelatarum, cet.* Sed de hoc confer (n. xv. ſeq.): *tum omnes*, inquit, (*b*) *ore modeſto, blanda, mitique voce, corde ſubdolo & iniquo, rigidum ſtringunt ferrum; infligunt profunda vulnera; ut ſenſim ſuum aſſequantur finem, vera falſis miſcendi; nempe ut in Sanctorum veluti Canonem, Metaphraſtem referendi, & quaecumque ille, & poſt eum alii reſcripſerunt.* Tandem: *Quam melius ergo*, inquit (*c*), *& tutius fuerit in dubiis, in falſis, in fabuloſis nil retinere, ſed generoſe omnia reſecare: ne imprudentes agamus patrocinium impoſtorum*. Confer, quae ibi notat ad calcem. Ceterum quoniam ex toto Falconii *Syſtemate* ſatis luculenter apparet, ipſum nihili Breviarii Romani auctoritatem facere, ſectari autem Viros in Critice apprime verſatos, Gallos praeſertim, ut eidem Illuſtriſſimo Viro me gratificari hac de re velle, ipſemet cognoſcat, Lectiones de S. Nicolao Breviarii, quod Archiepiſcopi Pariſienſis auctoritate, Capitulique conſenſu Anno MDCCXXXV., & de-

(a) Proleg. pag. 27. n. 12.
(b) Ibid. n. 11.
(c) Ibid. pag. 28. n. 16. col. 1.

Digitized by Google

& denuo MDCCXLV. Pariſiis editum fuit, heic ſubjicimus, ut inde quid Lectiones illae de celeberrimo Thaumaturgo narrent, ipſe pervideat, ac ſimul perpendat, utrum dignae ſint, quae admitti poſſint, necne. Sunt enim ita ad Critices Regulas elaboratae, ut in Praefatione laudatus Archiepiſcopus ſcripſerit: *Lectiones autem e Patrum ſcriptis, & Vita Sanctorum excerptae cavimus, ut cum delectu fierent, & Officiis, in quibus uſurparentur, apprime congruerent. Poſtremo, ut omnia incorruptis rerum geſtarum monumentis niterentur.* Ceterum illud Illuſtriſſimus Falconius animadvertat velim, in eo Breviario licet nulla, quae S. Nicolaus, dum Vita fruebatur, patravit Miracula, Criticorum more, (V. num. xxxi.) narrentur, quemadmodum in Romano Breviario legimus: Saeculo tamen IV. S. Nicolaum Myrenſem obiiſſe, apertiſſime refertur in Kalendario eidem Breviario praefixo, circa annum ſcilicet CCCXX. Quod etſi Romano non conſonet, in quo ſcriptum legitur: *Inde reverſus* (e Concilio Nicaeno) *non ita multo poſt, inſtante morte, cet.* quam maxime tamen id ſuo officere *Syſtemati*, Clar. Falconius non diffitebitur. Utrum vero Romanum Pariſienſi, quo ad laudatum Concilium attinet, ſit praeferendum, confer, quae (num. xliv. ſeqq. & inf. num. lxxiv.) diſſeruimus.

Die vj. Decembris.

Lectio II.

Nicolaus Mirae, *quae Lyciae Metropolis eſt, Epiſcopus populis omnibus veteri, & vulgata famâ notus eſt. Quanto honore fuerit habitus a Graecis, vel una teſtatur precatio inſerta Liturgiae, quae Sancti Joannis Chryſoſtomi nomine inſcribitur. Multae ſub ejus nomine erectae ſunt Conſtantinopoli Baſilicae. Illius praeſentem opem ſenſiſſe ſe Theodorus, qui Myrenſem ejus Sedem tenebat, coram Patribus in Nicaena Secunda Synodo conteſtatus eſt ad aſſerendam, & confirmandam, quam prius impugnaverat, debitam Sanctorum imaginibus venerationem. Cum anno octingenteſimo ſeptimo Dux quidam Arabum, Chumid nomine, Mirâ occupatâ, Sacram Urnam in qua Sancti Nicolai corpus aſſervabatur, confringere tentaret;*

& in

& in vicinam ex errore vim, & ictus inferret, cum, ut ſcribit Theophanes, Sanctus, & Thaumaturgus Nicolaus *manifeſta ultione exagitavit: Exemplo enim, inquit, immanis ventorum procella, marinorum fluctuum impetus, tonitruum, fulgurumque promiſcua tempeſtas adeo claſſem jactavit, ut pleraeque naves conquaſſatae ſubmergerentur; ipſeque Dei hoſtis Chumid, Sancti virtutem expertus, vix ac praeter ſpem potuerit effugere.*

Lectio III.

Ex ejus Sepulcro ſtillabat oleum depellendis variis morborum generibus ſalubre, quod peniculo extractum ex Urna fidelibus diſtribui ſolebat in Vaſculis. Eorum nonnullis in Occidentem allatis, coepit apud Latinos nominis & miraculorum ejus fama celebrari, quam praedicant nono ſaeculo Martyrologia Uſuardi, & Adonis. Pariſiis jam ad annum milleſimum trigeſimum Robertus Rex in Palatio Regio Baſilicam ſub nomine Sancti Nicolai *condiderat, in qua poſtea Corona Domini a Sancto Ludovico depoſita eſt, antequam Sacram illic Capellam aedificaret. Aucta eſt autem in primis Sancti Pontificis veneratio, ex quo devaſtata a Turcis Myra, allatum eſt Corpus ejus Barium in Apulia, anno ſalutis milleſimo octogeſimo ſeptimo. Ibi enim extructa eſt impenſis Civitatis Baſilica, quam in honorem* Sancti Nicolai *Urbanus Papa Secundus, poſt biennium in Apuliam veniens dedicavit; in eaque Sacrum Corpus condidit.*

CA-

CAPUT VIII.

Acta Primigenia S. NICOLAI *a Clar. Falconio inventa, ac publice typis excuſa, expenduntur, atque nullius auctoritatis eſſe luculenter ſuadetur.*

LIV. DEvenimus tandem ad Acta Primigenia S. NICOLAI, theſaurum ſcilicet per tot ſaecula ſepultum, a doctis iiſque de Eccleſiaſtica hiſtoria benemeritis Viris diu multumque concupitum, a Cl. Falconio primum feliciter detectum, atque in publicam lucem felicius, ut putat, cumque omnium eruditorum plauſu editum. Heic Lectores (*a*) monitos velim, ne a me expectent, ut integram horum Actorum *κρίσιν* (*criſin*) exhibeam, ac totis ingenii viribus eorum vim, ſi quam habent, ac pondus ad regularum Critices libramentum diligenter expendam. Etenim temporis anguſtiae, ac potiſſimum litterarii penoris inopia, aliaque non leviora impedimenta id fieri aliqua ratione haud ſinunt. Pauca igitur, eaque ad rem conficiendam aptiora, adnotaſſe juvabit. Quorum primum eſt, quod Acta a Falconio edita toti fuerunt Antiquitati ignota; neminem enim neque ex coaevis, neque ex recentioribus Scriptoribus reperire eſt, qui horum Actorum umquam meminerit;

(a) Monitos quoque heic velim Lectores, ut quae in hoc Capite, & alibi de Actis Falconianis aſſerimus, nimirum ea eſſe conficta, in eo ſenſu a me eſſe dicta intelligant, quo Falconius ponit unum ſolummodo extitiſſe S. NICOLAUM, eumque Pinarenſem fuiſſe Epiſcopum. Ceterum quid verius ſentiam, infra perſpicue exponam (num. LXV.) Utrum vero Acta Falconiana de Nicolao Pinarenſi, poſito quod ſint genuina, a coaevo Scriptore fuerint compoſita, ac nuſquam interpolata necne; ſint ne S. NICOLAI Myrenſis Actis antiquiora, an recentiora, vel eodem tempore conſcripta; quidve demum de eorundem ſtilo judicandum ſit: plenius, atque incorruptius, ea qua ſolet eruditione, ac doctrina, dabit de ejuſmodi rebus judicandi peritiſſimus, Vir ſummus Illuſtriſſimus D. Joſeph Aſſemanus. Confer inf. num. LXXX.

Digitized by Google

imo, quod apprime notandum eſt, licet S. Methodius, Leo VI. Imperator, vel potius S. Andreas Epiſcopus Cretenſis (vid. num. XXIV.) ac Simeon Metaphraſtes ex profeſſo de Vita, & Geſtis S. NICOLAI ſcripſerint, nemo tamen eorum ad h. m. Acta provocavit, aut ſaltem eadem circumferri animadvertit. Quod certe vel ex eo praeſtandum erat, quod omnia pene, quae de S. NICOLAO in iisdem Actis, quae *Falconiana* deinceps appellabimus, referuntur, iis, quae de eodem Sancto ſaltem per traditionem circumferebantur, magnopere adverſarentur. Ne quis vero putet, totam nos ponere vim in argumento *negativo*; is recogitet velim, quae de h. m. re ſupra diſſeruimus (num. XX. XXI. XXII.): non enim in ſolo Veterum ſilentio ejus argumenti vis ſita eſt; ſed res eſt ejuſmodi, ut in eam argumentum *quadret* omnino. Quis namque credat, S. Methodium, Leonem Imperatorem, Metaphraſten, qui Geſta S. NICOLAI magna cura, diligentiaque exquiſierunt, nunquam de his Actis, ſi ignota non fuiſſent, mentionem ullam feciſſe? At enim regerit Falconius, tum haec eadem Acta Myrenſium opera ſepulta jacebant, *quod Myrenſes Acta ſibi noxia Nicolai nec petere, nec reſcribere curarent, ut quibus Eccleſiae prodebatur non ſuum, ſed Pinarorum fuiſſe Epiſcopum* (*a*). Sed eſto ut Falconius putat. Ego vero primum ab eodem Cl. Viro quaero, ſi Myrenſes nec petere, nec reſcribere ejuſmodi Acta curabant, Pinarenſes cur e contrario & petere, & reſcribere negligebant? Cur undique totis viribus conquiſita per omnium manus ire non ſatagebant? Si quid definire fas eſt, potius Pinarenſes toto conatu id perficere, quam Myrenſes Acta occultare decebat. Videbant quippe, ni ſtupidos, imo plumbeos eos fuiſſe velimus, toto terrarum Orbe Pinarenſem ſuum pro Archiepiſcopo Myrenſi haberi; *non Sanctum*, ut cum Falconio loquar, *pro Sancto* obtrudi; Nicolaum nimirum Archiepiſcopum, qui S. Nicolaum Pinarenſem Lectorem ordinaverat, in ore omni populo eſſe, Pinarenſem ne quidem

(a) Proleg. pag. 15. n. 3.

dem nominari. Cur igitur ad ſuae Civitatis honorem veritatem in apricum non proferebant, ſed turpi obruebant ſilentio? Quis eſt qui tantam in Pinarenſibus oſcitantiam credere queat? Credat Judaeus Apella. Neminem enim eſſe puto nullo animi affectu permotum, qui haec admitti, vel in vulgus ſpargi patiatur. Deinde cui bono per tot ſaecula Myrenſes ſemper, atque ubique circumferre, S. Nicolaum Archiepiſcopum fuiſſe Myrenſem? Obtinebant ejus Corpus, ac parum intererat, cujus Eccleſiae fuerit Antiſtes, dum tanto theſauro Myrenſis Civitas erat ditata. Eſto etiam, ex concurſu populorum lucrum carpebant: numquid ſi ut Pinarenſis Epiſcopus detectus fuiſſet, concurſus fuiſſet diminutus, ceſſaſſet lucrum? Huc etiam mirifice facit, quod Cl. Falconius in Actis (a) arbitretur duo illa Miracula, quae ibi referuntur, Civium Myrenſium Saeculi VII., & VIII. eſſe Commenta. Sed (ad Falconii mentem loquendo) quid ſi conficta fuerunt Saeculo VI. illo nimirum Saeculo, quo Pinarenſis Nicolaus deceſſiſſe dicitur? Eritne tum credibile eodem pene tempore, quo Pinarenſis obiit, Miracula circumferri alterius Nicolai *Myrenſis Metropolitae*, qui Conſtantini tempore floruit? Cives vero Pinarenſes contra nihil obloquendo turpi ſilentio id approbare? Quis unquam in animum id inducere poterit? Sed ponamus ea Miracula fuiſſe Saec. VII. ſcripta, ut vult Falconius. Cum Pinarenſis Nicolaus obierit medio Saec. VI., nimirum Anno 551. prorſus incredibile apparet, Saeculo ſequenti nullam de Pinarenſi mentionem fieri, *Myrenſem* vero *Metropolitam* in ſermone omnium pervagato tacentibus Pinarenſibus verſari. Quo in loco illud etiam animadverſione dignum eſt, facile admitti poſſe, putidum quendam fabulatorem miracula confingere; eaque patrata referre a Viro Sanctitate celebri; at Miracula comminiſci, eaque a Viro eſſe peracta referre omnibus ignoto, imo qui nunquam extiterit; idque eo tempore, quo de altero ejuſdem nominis celebris fama pervagatur. Id ſane eſſe dicas, quod nemo

M 2 per-

(a) Pag. 30., & 38. in Admonit.

Digitized by Google

perſuaſum ſibi habere unquam poteſt; adeo ut nullo negotio luculente quis pervideat, potuiſſe quidem praedicta Miracula a tenebrione aliquo Saeculo ſeptimo confingi; a vero autem longe abhorrere, quod tam perfrictae is frontis fuerit, ut alium Sanctitate quoque celebrem NICOLAUM, ſcilicet *Myrorum Metropolitam* eodem tempore comminiſci voluerit, quo S. Nicolai Pinarenſis recens, ut ita dicam, defuncti memoria praeclare omnibus jam prodita erat. Ea igitur tempeſtate ſaltem conſtans erat Traditio de S. NICOLAO Myrenſi *Metropolita*. Confer n. XXXIV. XXXIX. XL.

LV. Praeterea inſurgat iterum Falconius (*a*), & contendat: Saeculo decimo h. m. Acta in manus Metaphraſtis veniſſe, iiſque laudatum Scriptorem fuiſſe uſum; quis eſt qui id tam facile in animum inducat, ut credat? Et re quidem vera licet Illuſtriſſimus Falconius pleraque loca in Metaphraſte notarit, quae deſumta ex Actis a ſe editis arbitratur: ego tamen eo modo, quo id ipſe affirmat, conſtantiſſime pernego. Legimus enim in Actis Falconianis (*b*), Michaëlem Archangelum Archimandritae Nicolao, S. Nicolai Pinarenſis Patruo, *viſibiliter* apparuiſſe dicentem, Nicolaum ex utero Matris fuiſſe electum; Angelum Domini adſtitiſſe S. Nicolao Pinarenſi, dum loca Sancta viſebat, dicentem: *Feſtina & vade in tuam Lyciam Regionem*. Eundem S. Michaëlem Archangelum eidem revelaſſe, ipſi ſe quotidie miniſtrare; S. Nicolao Spiritum Sanctum apparuiſſe, eique altera vice in ſomnis praeſentem ſe *viſibiliter* ſtitiſſe, ac Thronum ei demonſtraſſe, & *glorioſum, pulcrumque ſchema Sacerdotii;* Deiparam *oſtendiſſe ei locum, & menſuram Oratorii ad ſuum nomen; quod ſub Titulo* S. Mariae *Templum erigi volebat*. Quae omnia S. NICOLAI Vitam mirifice ornant, illuſtrioremque reddunt; adeo ut qui haec, Vitam S. NICOLAI conſcribendo, conſulto omittere voluerit, male certe de S.Thau-

(a) Falcon. ibid. n. 4.

(b) Confer loca pag. 4. num. 5. pag. 13. num. 15. pag. 19. num. 22. pag. 22. num. 25. pag. 26. num. 28. & 29. in Actis Falconianis.

Digitized by Google

S. Thaumaturgo mereri videretur. Jam vero cum Metaphraſtes ne meminerit quidem de his, quae in Falconianis Actis referuntur, de his, inquam, quibus Nicolai Sanctimoniam illuſtriorem, celebrioremque reddere poterat, quis credat, Scriptorem, qui data opera, ut Critici arbitrantur, Sanctorum geſta non ita ut evenerunt, ſed, ut evenire potuerunt, narret, eorum Vitas adeo exornando, ut quo meliori poteſt modo eas augere, atque amplificare ſummo ſtudio ſatagat, contra proprium inſtitutum ea de S. Nicolao referre, omittere voluiſſe, quae ſuo propoſito mirabiliter favebant? Non vidit igitur Acta Falconiana. At contra iterum atque tertio Cl. Falconius urget: multa Metaphraſten ex his Actis expilaſſe, atque adornaſſe ſuo modo. Confer, pergit, loca apud Metaphraſten notata, & animadvertes, quam multa ex Actis Primigeniis exſcripſerit, licet clare appareat, aliter h. m. Acta a Metaphraſte, ac in editis a ſe legitur, referri; *num pleniores, an confuſiores erant ejus Codices, quibus eſt uſus* (a)? Sed nulla haec ratione a Falconio objiciuntur. Quis enim in animum ſibi inducere poteſt, Metaphraſten Acta Falconiana expilaſſe, illuſtriora vero & celebriora de S. Nicolao, quae ibi leguntur, omiſiſſe, ea praeſertim, quae *Syſtemati Metaphraſtico*, ut ita loquar, minime adverſabantur? Cui bono exſcribere, quod minoris eſt pretii, pretioſiora vero, & propoſito congruentiora penitus omittere? Solent fabulatores in ſuo Heroe adornando, grandiora ſeligere, ut eum perfectum undequaque Lectoribus exhibeant. Cur igitur Metaphraſtes, *putidus fabulator*, quae meliora in Actis Falconianis invenit, ſuae *Fabulae* non attexuit, ac Nicolaum Archiepiſcopum Myrenſem, Heroëm fabulae iis ornamentis non reddidit celebriorem, illuſtrioremque? Quamobrem quum ullo pacto vero non ſit ſimile, Metaphraſtem ex Actis Falconianis Vitam S. Nicolai adornaſſe, conjiciendum eſt, neſcio quem Graeculum, Pinarenſem tamen, Myrenſium aemulatorem, alium Nicolaum in ſce-

(a) In Act. Metaphr. pag. 88. in not. a.

ſcenam induxiſſe Eccleſiae Pinarenſis Epiſcopum, ejuſque Vitam centonis inſtar conſcripſiſſe ea ratione, ut ſi otium & vires ſuppeterent, facile eſſet demonſtrare, ex variis, quae circumferuntur S. Nicolai Actis, geſtiſque, additis etiam, quae ipſe Graeculus ex proprio ingenio finxit, Vitam S. Nicolai Pinarenſis fuiſſe compactam; tumque *depoſitis*, ut cum ſummo Viro Mazochio loquar (*a*), *mutuatitiis pennis riſum profecto cornicula infelix ciet*.

LVI. Profecto ſi penitius Acta Falconiana rimari velimus, me non longe a vero conjicere, luculente patebit: Primo enim (*b*) eorum Anonymus Auctor narrat, endam nomine Nicolaum, Virum admirandum ac Sanctum, cogitaſſe aedificare domum celeberrimae S. Sion; dumque ejus delineatio fieret, natum Nicolaum ex genere praedicti Nicolai, quem ejus parvuli Patruum infra appellat (*c*). Tum (*d*) Nicolaum Patruum, cum ejus Nepos ſeptennis eſſet, arceſſiſſe Archiepiſcopum, huncque indulſiſſe, *ut in illo loco Oratorium conſecraretur, eoque nomine inſigniretur, quo vellet Sanctiſſimus Archimandrita* (patruus) *Nicolaus. Et profectus ad locum* (*e*) *ipſum aedificium nomine Sanctae & glorioſae Sion appellavit, conſecravitque a Concharum laetiſſima terra incipiens, ſicut in Geneſi Spiritus Sanctus dicit: In principio creavit Deus Coelum & Terram; Similiter poſt Coelum, fundamenta terrae libravit. Sic igitur etiam in fundatione glorioſae & San-*

(a) Mazoch. Comment. in Kal. Neapol. ad 3. April. pag. 143. de S. Joan. Epiſc. Neapol. §. 3.

(b) In Actis Falcon. pag. 1. n. 1.

(c) Ibid.

(d) Pag. 2. num. 2.

(e) Venia nobis ſit, ut pauca in Falconianam interpretationem animadvertamus, quae fortaſſe ob ſcribendi celeritatem Clariſſimi Praeſulis diligentiam fugerunt, quod praeſtabo dumtaxat in locis, qui recitantur; ſi enim acta omnia hoc modo penſitarem, his animadverſionibus utramque paginam implerem. Et ſane, ubi inquit Falconius, *Et profectus ad locum*, Graece eſt, *Et cum loco adfuiſſet*, κὶ ἐπιστὰς τῷ τόπῳ. Praeterea γῇ Κόγχων, verterem *terram Conchorum*, ſecundum nominum propriorum ἀναλογίαν, praeſertim cum, ſi dicas Concharum, ſcribere oportuiſſet Κογχῶν cum περισπωμένῃ in fine. Vox περιχαρῆ, quam transfudit Praeſul noſter *laetiſſima*, ignoro, quare ſic inflectatur; & quid ſit *terra laetiſſima* me prorſus latet.

Sanctae Sion, *Sanctus Spiritus indicavit*. Quid ſibi velit heic Anonymus verbis ex Geneſi exſcriptis, ingenue fateor, me non intelligere: judicent id eruditi Viri. Id ſolum animadverto, domum S. Sion delineatam, cum puer Nicolaus naſceretur, conſecratam vero, atque idcirco jam completam, cum puer ſeptennis eſſet. Septem igitur annos in ea aedificanda Archimandrita Nicolaus inſumſit. Poſt haec narrat (*a*): *Simul enim ac puer* Nicolaus *creſcebat* (*b*) *Spiritu*, *&* *Eccleſia perficiebatur*, *addixit ei venerandiſſimus ejus patruus & Archimandrita Nicolaus*, *Cononem Presbyterum* (*praefectum aedificationi Eccleſiae S. Sion*) *qui adduxit eum ad beatum & reverendiſſimum Archiepiſcopum Nicolaum*, *ut Lectorem*, *puerum ordinaret*. Non igitur completa erat Eccleſiae aedificatio, quod pugnat cum iis, quae ſupra num. 2. narravit; niſi velimus ibi *κατὰ πρόληψιν* (*per anticipationem*) ea relata, quae poſtea acciderunt, atque item puerum Nicolaum ante ſeptennium *ordinatum* Lectorem. Porro refert Anonymus: (*c*) ſe una cum Archimandrita Nicolao profectum ad loca Sancta viſenda; deinde rediiſſe, ac demum veniſſe in Lyciam in Tragaſſorum pagum; tum ſubdit: *&* *poſthaec beatus & Sanctus Nicolaus erat in magna ſollicitudine: dicebat autem fratribus ſuis*, *&* *omni populo: Hic eſt locus*, *quem mihi indicavit Deus*, *habitare*, *&* *aedificare*. *Ceterum ergo eſtote fortes*, *&* *orate*, *ut ſua miſericordia dignos nos faciat*, *ut velimus* (*d*). *Coepitque glo-*

(a) Pag. 2. num. 3.

(b) Ἅμα γὰρ τὸ αὐξάνεσθαι τὸ παιδίον Νικόλαος, κ. τ. λ., converſa video: *Simul enim ac puer Nicolaus creſcebat*, *cet.* Cl. Falconius Graeca ἀσύντακτα eſſe minime advertit: reor autem, ut ſincere perpendenti procul dubio videbitur, aut, qui ea Acta ſcripſit, Graecum βαρβαρίζοντα fuiſſe, & temporis inſiceriſſimi; aut amanuenſem corrupiſſe; legendum, ut συνταξις conſtet: Ἅμα γὰρ τῷ αὐξάνεσθαι τὸ παιδίον Νικόλαον, ut noſcitat, qui vel parum Graece ſapit.

(c) Pag. 3. num. 4.

(d) Verba Latiaria: *Caeterum ergo eſtote fortes*, *&* *orate*, *ut ſua miſericordia* (Deus) *dignos nos faciat*, *ut velimus*, ſententiam vix concludunt, etenim Falconius licet Graece doctiſſimus confudit βούλεσθαι cum βουλεύεσθαι, illud enim, ut tirones norunt, eſt *velle*, hoc autem *providere*: quare dicas: *ut nobis ipſi conſulamus*.

glorioſam domum Oratorii aedificare: ſic enim dilexit mundum (ſcilicet locum illum) ut Dei veluti Paradiſum. Apparuit enim Angelus Dominus (lege Domini; in Graeco enim eſt τῦ Κυρίου, ut ſit mendum Typographi) *ei dicens: Hic locus eſt figura Sanctae Sion Hieruſalem. Et Servus Dei Nicolaus Archimandrita erat quotidie agens gratias, dicens nobis: In veritate, filii mei, novi, quoniam hic locus eſt requiei meae; ab initio namque locum iſtum dilexi: quoniam hic ſervis ſuis multa ſigna oſtendebat Deus: Lumen enim & die & nocte Sanctae Sion praelucebat in loco ipſo. Erat enim quidam Servus Dei nomine Sabbatius in Acaliſſo, & huic primo loci hujus* (a) *oſtenſum eſt. Dicebat enim omnibus hominibus, quae in loco ipſo ſibi apparuerant, priuſquam Nicolaus peccator naſceretur, & credidit ei nemo. Ipſe vero dicebat illis: quoniam video veluti ardentem lychnum, ac aedificium unico conſtans lapide, & ut Sol lucens erat omnis mons.* Locus quantumvis pretii, ut Centonem ab Anonymo componi luculenter agnoſcas. Primo enim neſcio cur Anonymus hoc loco etiam narret: *Erat enim quidam Servus Dei nomine Sabbatius*, cum ſupra num. 1. dixerit: *Cui gratuito electo Dei cum Spirituali Patre & Archimandrita Sabbatio placuit habitare.* Si enim jam nominaverat Sabbatium, cur heic iterum Virum Dei fuiſſe nomine Sabbatium refert? Secundo narrat poſt reditum ex Hieroſolymis coepiſſe aedificare domum S. Sion; cum ſupra num. 2. & 3. jam aedificatam dixerit, niſi haec omnia, ita interpretemur, ut quae Anonymus hac de re ſcribit, primum de Eccleſia, deinde de Monaſterio ſint intelligenda, quod tamen an verba ipſa admittant, fateor mihi non liquere. Tertio neſcio quid velit Anonymus per illa verba: *Sic enim dilexit mundum* (ſcilicet *locum illum*) *ut Dei veluti Paradiſum.* Quemadmodum Angelum Domini dixiſ-

(a) Typographus oblitus eſt vocis *lumen*, nam Graece eſt φῶς, quare Falconii interpretatio, utpote manca, nihil menti ingerit, & conquerendum eſt horum Actorum ἐκδόσιν, Graecam praeſertim, tot ſqualere erratis, ut credam Falconium aliis, quo purgaretur, qui Graeca vix delibarint, commiſiſſe.

dixiſſe eum locum figuram eſſe S. Sion Hieruſalem. Si haec omnia conferantur, nulli dubium, quin Anonymus centonem conſcripſerit. Tandem notanda ſunt illa verba: *priuſquam Nicolaus peccator naſceretur*. Ea enim ad Nicolaum Pinarenſem referenda ſunt. Sed minus apte Nicolaus *peccator* dicitur, niſi aut Nicolaum haec de ſe ipſo ſcripſiſſe intelligas, atque Anonymum ſuae narrationi eadem integra attexuiſſe; aut ita accipienda ſunt, ut ſenſus ſit: priuſquam naſceretur puer Nicolaus, qui peccatorem ſe ipſum nominabat. Sed quoquo modo explices, ſemper Acta ita ſe ſe exhibent, ut opus cenſeas vel ex variis pannis male conſutum, vel infeliciter conſarcinatum.

LVII. Sed ulterius pergere nos non pigeat, ut meliora promamus. *Multa autem*, ſcribit Anonymus (a), *& alia ſigna Servi Dei Sabbatius, & Nicolaus per viſionem conſpexerunt: viſibiliter enim eis apparuit Sancta Sion. Tempore autem procedente, praedictus SS. Sabbatius Acaliſſi defunctus eſt: Succeſſor autem ejus, & Servus Dei Nicolaus, Deum Dominum quotidie exorabat, ut Dominus Jeſus Chriſtus ſibi ſignum, quod S. Sabbatio apparuerat, revelaret: habebat enim incendium S. Spiritus: oranſque, & precans Deum, ut deſiderata circa Sanctam, & glorioſam Sion, ſibi fierent manifeſta, & Dominus Deus Michaëlem Archangelum Teſtamenti miſit; viſibiliter dicentem Servo Dei Nicolao: Vis jucundam Sanctae Sion videre domum? Et duxit me in montem hunc & dicit mihi: aſpice in montem. Et ſurſum aſpiciens, vidi domum Dei, aedificatam omni elegantia; & lumen magnum huic illuxit monti, & dicit mihi Angelus ductor meus: eſt puer, hic nomine Nicolaus, filius Epiphanii, Matris vero Nonnae, qui habitabit in loco iſto, & glorificabit patrem noſtrum, qui in Coelis eſt: ex utero namque matris electus a Deo eſt. Et inviſibilis mihi Angelus factus eſt. Haec dicebat Servus Dei Nicolaus Archimandrita Monaſterii S. Johannis in Acaliſſo, prophetans de his, quae futura erant de Sancto puero: & facta eſt ei requies in Acaliſſo, in Eccleſia S. Johannis.*

N Tum

(a) Pag. 4. num. 5.

Digitized by Google

Tum num. 6. *Cum autem Sanctus creviſſet puer, & glorioſa domus S. Sion ei eſſet concredita, cet.* Hic quoque locus eſt quantivis pretii. I. Enim etiam heic fateor me non intelligere hanc aliam de domo S. Sion viſionem utique mirabilem. II. Singulae paginae horum Actorum meras crepant domus Sanctae Sion, ut pro hac potiſſimum domo ea conſcripta eſſe quiſque facile conjicere poſſit, atque praedictae domus Monachum, ut ſuum Monaſterium piis, credulisque femellis tam glorioſis initiis commendare poſſet, eorumdem fuiſſe Auctorem. Imo, ut heic obiter id animadvertamus, ſaepius in his actis S. Nicolaus miracula operatur virtute. Sanctae Sion, & fidem a petentibus divinam opem non ſolum in Jeſum Chriſtum exigit, ſed & in virtutem Sanctae Sion. *Si ex toto corde veſtro creditis in Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & in virtutem Sanctae Sion; Dominus anima & corpore eam curabit.* (*a*) Et alio loco: *Credite in Deum, & in Sanctam Sion; & vobis fructum maſculinum dabit Deus, cet.* Confer quae retulimus (n. LVI.): *coepitque glorioſam domum Oratorii aedificare: ſic enim dilexit mundum (ſcil. locum illum) ut Dei veluti paradiſum.* Angelum dixiſſe: *Hic locus eſt figura Sanctae Sion Hieruſalem, cet.* & clare perſpicies, haec omnia quemquam in ſuſpicionem adducere poſſe, horum actorum Scriptorem ſatis ſollicitum eſſe de hac domo Sanctae Sion, & multum ac ſaepe eam commendare, fortaſſe ut a piis Chriſti-fidelibus frequentaretur. III. Dixerat num. 4. Archimandrita Nicolaus loquens de S. Sion: *hic locus eſt requiei meae:* heic vero: *& facta eſt ei requies in Acaliſſo in Eccleſia S. Johannis.* IV. Tandem illud praeſertim notandum Anonymum nunc per re res narrare, nunc interferere verba alterius per ſe loquentis, ut videatur non ipſe omnia compoſuiſſe, ſed ex alio quaedam deſumpta ſuae narrationi attexuiſſe, quod attente legenti perſpicuum fiet. Quae omnia tum repetita, tum neſcio unde conſarcinata, nullius ponderis Acta h. m. eſſe ſatis aperte convincunt: quod ſi ex variis Sanctorum Vitis tanquam cen-

(a) Pag. 16. num. 18. pag. 28. num. 3.

centonem compoſita dicas; fortaſſis id vero plane ſimile eſſe quilque ſatis luculente comperiet.

LVIII. Sed & alia perſequamur oportet. Clerici (a) Arnabandaeorum venerunt in Monaſterium S. Sion, petentes a S. Nicolao, ut oraret pro eis, quoniam tentabat eos Diabolus: *Habemus enim*, inquiunt, *antiquum fontem, quo mulier aquatum venit, & eam immundus ſpiritus in aquae dejecit fontem, & mortua eſt: & nos omnes cum quadrupedibus noſtris periclitamur. Aqua enim ab hora illa turbata eſt, & facta caenoſa, cet.* Abiit (b) Nicolaus in Arnabandaeorum Oppidum, ſed ibi miraculo patrando interceſſit homo quidam Cabalae in Acaraſſo: *Clerici vero oppidi Arnabandaeorum ſervo Dei poſtea dicunt: Domine penes nos, in monte Caeſare eſt aqua occulta, cet.* (c)

. . . . *Amphora coepit*

Inſtitui, currente rota, cur urceus exit? (d)

Vidit hanc difficultatem Illuſtriſs. Falconius, ſed eam removere non potuit. Unde notat (e): *Poſt haec in textu de aqua turbida caenoſa, & exitiali nullum amplius eſt verbum. Nobis velimus ſubſtitutam ſequentem occultam aquam.* Dicat potius, quod *interpolator* inſipiens, omnia perturbat, ex variis neſcio quid mixtum inſulſe componit. Pergit Anonymus (f): *Dei autem voluntate ſecundus ingreſſus in Sanctam Civitatem Hieruſalem, Abbatis factus eſt Nicolai, cet.* Si haec ſecunda profectio, prima ubi ſcribitur? Vidit id Cl. Falconius (g): *Quomodo haec, inquit, profectio eſt ſecunda? Prima fuit S. Nicolai Avunculi Archimandritae. Haec prima noſtri Sancti; nec enim mihi ſuadeo, cum Avunculo profectum etiam noſtrum puerum. Acta namque tunc iſta non ſiluiſſent. Forſan pro* προτέρα, *haec* δευτέρα *eſt allucinatio Amanuenſis.* Sed paulo accuratius haec expendamus. Primo autem facile Falconio dandum, puerum Nicolaum cum patruo Archimandrita non

N 2 eſſe

(a) Pag. 6. n. 8.
(b) Pag. 7. n. 9.
(c) Pag. 8. n. 10.
(d) Horat. de Arte Poëtica.
(e) Pag. 8. not. (1)
(f) Pag. 10. n. 12.
(g) Ibid. not. (i)

Digitized by Google

eſſe profectum, non quod Acta id ſileant, ſed quod Nicolaus admodum puer eſſet, cum patruus ad loca ſancta viſenda eſt profectus. Deinde animadverto, Critices cultoribus admodum familiare eſſe Codices ad *Syſtema* jam animo conceptum quoquo modo firmandum emendare. Heic Cl.Falconius hallucinationi tribuit τὸ δευτέρα (ſecundus ingreſſus ſcil.) quum ſcribere debuiſſet προτέρα (primus) quod certe, an ita evenerit, ſola Falconii conjectura ſufficiens non eſt, ut credamus. Sed demus Cl.Viro id ita eſſe, ut arbitratur; tum quaero, ſi hic primus, ubi eſt ſecundus ingreſſus? Quemadmodum enim τὸ *ſecundus* ad primum ingreſſum refertur, ita τὸ *primus* ad ſecundum. Nomen namque *primus* eſt *numerale ordinale*, ut Grammatici vocant. *Ordo autem includit in ſe aliquem modum prioris, & poſterioris* (*a*). Cum igitur in Actis Falconianis nullus alius ingreſſus S.Nicolai Pinarenſis legatur; nullus quoque conjecturae Falconianae remanet locus. Quid igitur dicendum? Nempe Anonymum interpolatorem, Archimandritam patruum cum nepote confundere, aut, ſi mavis, ex variis Actis haec pro S. Nicolao Pinarenſi nullo delectu conſarcinaſſe. Sed & illud heic, quoniam numerorum ordinem perſequimur, animadvertendum, Anonymum (*b*) ſaepius referre verba, quae Nicolaus orando fundebat; tum ſubdit: *& poſt finem orationis omnes audiverunt, Amen.* Non igitur orationis verba, ſed ſolum *Amen* auditum eſt. Unde ergo Anonymus ſcire potuit verba, quae exſcribit, Nicolaum orando effudiſſe? Finxit ergo ex proprio ingenio; ergo tanquam *Metaphraſtica* abjicienda, niſi velimus, omnes audiviſſe quemdam reſpondentem *Amen*, quod tamen an ita ſit eruditioribus examinandum relinquo.

LIX. Illud etiam heic adnotandum, me neſcire utrum Viris multum in Eccleſiaſtica Hiſtoria verſatis ſatisfacere poſſint, quae Anonymus de S. Nicolao narrat (*c*), dum eum tanquam bubulcum buculas agentem exhibet, tot, inquam, bucu-

(a) S.Thom. 2.2. q.26. art.1.

(b) Pag.11. ad fin. num.12. vid. & p.8. num.10.

(c) Vide a pag.20. a n.23. ſeqq.

buculas, ut earum Armentum ſatis magnum ſe habuiſſe dicendum ſit, eaſque obtuliſſe Eccleſiis, convivia in iiſdem inſtituendo, panes etiam, frumentum, vinum tanquam communem locorum illorum curatorem, obſonatoremque circumtuliſſe. Haec omnia *Agapes* mihi repraeſentare videntur, quas tamen ſaeculo ſexto, quo floruiſſe Nicolaum Pinarenſem putat Cl. Falconius, a Viro Sanctitate, & miraculis celeberrimo fuiſſe in Eccleſiis inſtitutas, nunquam adducar, ut credam. Jampridem enim Canone 28. Synodi Laodicenae celebratae (*a*) circa medium Saec.IV. vetitae fuerant: *Non oportet in Dominicis locis, ſeu Eccleſiis, eas, quae dicuntur Agapes facere, & in domo Dei comedere, & accubitus ſternere.* Id etiam vetitum a Synodo III. Carthaginenſi circa finem ejuſdem Saeculi IV. coactae Can.30. de quo ſcribit doctiſſimus P. Lupus Schol. ad Can.LXXIV. (quo idem etiam prohibetur,) Concilii Trullani (*b*): *Hinc enim Synodi Laodicenſis multorum per Ponticam Dioeceſim, ac omnem Orientem Epiſcoporum a Gregorio Nyſſeno laudatorum, ac S. praeſertim Ambroſii, Patris & Magiſtri ſui, ſpiritu plenus S. Auguſtinus a III. Carthaginenſi Synodo impetravit hunc Canonem = Nulli Epiſcopi vel Clerici in Eccleſia conviventur, niſi forte hoſpitiorum neceſſitate tranſeuntes illic reficiantur. Populi etiam ab ejuſmodi conviviis, quantum fieri poteſt prohibeantur.* Certe S. Ambroſio epulas, & Synaxes ad ſepulcra Martyrum haberi admodum diſplicuiſſe teſtis eſt laudatus S.Auguſtinus (*c*). Si igitur vera ſunt, quae in Actis Falconianis narrantur, ea ex antiquioribus actis eſſe deſumpta putandum eſt. S. enim Nicolaus Pinarenſis nunquam contra Canonum praeſcriptum id factitaſſet. Scio in Orientali Eccleſia uſque ad proxime praeteritum ſaeculum duraſſe has *Agapes* (*d*); at non intra Eccleſias ipſas, ſed juxta eaſdem, eo modo quo S.Gregorius

Anglis

(a) Van-Eſpen Jur. Eccleſ. Univ. p.V.inTract.Hiſtor.Canon.p.II.§.XII. de Canon. Laodic. Doviat Puenot. Canon. lib.2. cap.10. n.VI.

(b) Tom.3.Edit.Ven.1724.pag.133.

(c) S.Aug. Lib.VI. Confeſ. cap.2.

(d) Macri Hierolex. ver. *Agapae*.

Digitized by Google

Anglis recens converſis, atque idcirco ſuaviter alliciendis, conceſſit, ut in tabernaculis ex virentibus arborum ramis juxta Eccleſiam fabricatis religioſa convivia celebrarent (*a*). Quod vero hae *Agapes* in Eccleſiis fuerint a Nicolao Pinarenſi habitae, facile eſt conjicere ex Falconianis Actis, ſi attente, & nullo animi affectu perpendantur, legimus enim (*b*): *Proceſſit in Oratorium Archangeli celeberrimi in Traglaſſo, & par obtulit bucularum, & convocat omnem populum: & magnum convivium, & gaudium factum eſt: & collaetati gloriam Deo dederunt glorificanti glorificantes ipſum. Et exinde proceſſit in Monaſterium S. Johannis, & Sanctorum Patrum Sabbatii & Nicolai, & Leonis, (qui Archimandritae fuerunt in Acaliſſo) & buculas quinque obtulit, & convocat omnem populum, & comederunt, & ſaturati ſunt; & glorificatus eſt Deus per Servum ſuum Nicolaum. Eademque gratia, & Sancti Spiritus libertate, ductus in omnes circumjacentes Sanctas Eccleſias, in oblationem buculas dedit ſexdecim; gratias agens Deo, cet.* & infra (*c*): *Portavit autem pro ſumptibus Servus Dei, vini menſuras centum, & panis modios quadraginta. Et comederunt omnes, & ſunt repleti, cet. Poſt annos vero duos pervaſit Servum Dei Nicolaum Spiritus Sanctus, ut in adjacentes deſcenderet Oratorias Sanctas Domos; & per ſingulas illas, cet. Portavit autem a Monaſterio nummos 2604., & viri menſuras 70., & frumenti modios 30. & abiens in praedictam glorioſam domum Sancti Archangeli Gabrielis, tres buculas obtulit, & qui ibi erat, populum convocavit: & comederunt, & repleti ſunt valde . . . Ita ut Servus Dei Nicolaus exſultans in Oratoriam Domum diſcederet S. Theodori in Caſſis: & ibi par bucularum obtulit; & convocato cuncto populo loci illius repleti ſunt, & Dominum Deum glorificaverunt . . . . Exinde venit in Oratoriam Domum S. Archangeli in Neocomo, ibique bucularum par unum obtulit, & omnem loci populum convocavit, a parvulo uſque ad grandem, & ſaturati ſunt omnes, cet.*

(a) Macri loc.cit. Cabaſſut. notit. Concil. ſaec.II.diſt.VI. de Agapis. n.3.

(b) Pag.21. n.23.

(c) Pag. 21. ſeq. num. 24.

Digitized by Google

cet. En pauca loca, omiſſis aliis, ne taedio afficiantur lectores, quibus perſpicue oſtenditur, in ipſis Oratoriis Domibus inſtituta convivia, non juxta illas. Quod ſi haec omnia interpretari velit Illuſtriſſimus Falconius de *Eulogiis*, eum non moror. Sed convivia inſtituere, & comedere poſt totius populi convocationem, atque utique in Eccleſiis, id vero eſt, quod non mera & pura *Eulogia*, ſed *Agapes* exhibet, quae licet Sancte, caſteque potuerint a Nicolao in Eccleſiis haberi; id tamen contra Canonum praeſcripta cum eſſet, nunquam ab eodem Thaumaturgo peractum, omnino putandum eſt.

LX. Eſt & alius locus inſignis in Actis Falconianis, qui ſine animadverſione non eſt praetereundus. *Imminente*, ait (*a*) Anonymus, *autem tempore Roſſaliorum Progenitoris noſtri Sancti Nicolai* (*b*)*; ad Sinodum Servus Dei Nicolaus Myra in Metropolim deſcendit. Et orans, & Sanctis & Venerabilibus fruens Patribus, illique Sanctae in Chriſto Synodo comminiſtrans, ſalutatis omnibus, & omnibus data pace, in ſuum Sanctum Monaſterium eſt reverſus, ibique infirmitate correptus eſt.* Ex qua deinde infirmitate obiiſſe poſt pauca narrat. Quid autem ſint *Roſſalia* explicat Cl. Falconius ad calcem (*c*) his verbis: *Feſtum ſcil. Pentecoſtis, quod adhuc Neapoli, ubi Grecus Ritus vigebat, dicitur Paſcha Roſata, & ut alibi, Paſcha Roſa. Conſonat Meurſius in ſuo Gloſſario Graeco Barbaro, ubi dicit* = Ρουσάλια *Panegyris* (*celebritas*) *poſt Paſca celebrari ſolita* = *quem Pentecoſten, reor cogitaſſe.* Haec ibi Falconius. Sed poterat meliora quoque, atque uberiora ad hanc rem afferre ex Cl. itemque ſummo eruditione Viro Mazochio (*d*), cujus doctiſſimus Commentarius in vetus marmoreum *Kalendarium* prodiit ab anno 1744.

(a) Pag. 28. num. 31.

(b) Miror incuriam Cl. Falconii, qui horum Actorum rudem congeriem fingit ſe non advertere, apponentium verba ſententiam minime concludentia; quis enim non videt nihil eſſe, atque ἀσύντακτα iſthaec: Προπάτορος ἡμῶν ἁγίου Νικολάου, *Progenitoris noſtri Sancti Nicolai*, & quo referantur?

(c) Pag. 28. not. (1)

(d) Mazoch. in Commentar. in Kal. ad diem 13. Feb. not. 27. pag. 53.

1744. Praeterea idem eruditiſſimus Vir in *diſert. Hiſtorica* de Eccl. Neapolit. item de hoc ῥοδισμῷ verba facit, & luculenter oſtendit, ejuſmodi *ſolatia*, uti ipſe appellat, Roſaliorum tempore celebrata fuiſſe *in aedibus Archiepiſcopi* (non autem in Eccleſiis) qui Archipresbyteros omnes, & de Clero Neapolitano ſpectabiliores ad comedendum invitare ſollemne habebat; recitatque inibi Cl. Mazochius longiorem ritum circa eum ῥοδισμὸν ex Urſini Arch. Neap. antiquis ritibus, quem legas rogo. Jam vero quum Anno 551., quo Nicolaum Pinarenſem obiiſſe contendit Falconius, Paſcha fuerit die IX. Aprilis, ac dies Pentecoſtes eodem Anno inciderit in die 28. Maji; per ea tempora S. Nicolaus infirmitate fuerit correptus oportet. Secus enim ſi putes, Synodum Myrae celebratam ad multos menſes perduraſſe, ac poſtmodum eundem egrotaſſe; ſatis inſulſe ſe geſſit Anonymus, dum adventum in Civitatem Myrenſem, Miniſterium in Sancta Synodo, reditum in Monaſterium, infirmitatem tandem, ex qua S. Nicolaus obiit, quaſi uno tempore, intra unius nimirum, aut ad ſummum duorum menſium ſpatium peracta, referre non dubitavit. Si haec igitur vera ſunt, quomodo verum eſſe poterit, quod ſcribit Anonymus (*a*) Nicolaum deceſſiſſe menſe Decembri? Etenim *imminente Tempore Roſſaliorum Myra in Metropolim deſcendit . . . . Sanctae Synodo comminiſtrans, ſalutatis omnibus, & omnibus data pace in ſuum Sanctum Monaſterium eſt reverſus, ibique infirmitate correptus eſt. Dum autem ipſe jaceret, & aegrotaret . . . mulier nomine Eugenia . . . . Lunaticum habens ſpiritum, venit . . . ſervus vero Dei Nicolaus . . quanquam jacens in lecto, & jam depoſitum tradíturus, orans pro illa, curavit eam. Mulier autem ſanata, gratias agens Deo. IN SANCTA SION PERMANSIT* (*b*). *Cum autem Nicolaus Sanctiſſimus, & beatiſſimus Servus Dei inevitabile vi-*

(a) Pag. 28. num. 31.

(b) Optarem, ne quis credat adeo infrunitae mentis fuiſſe horum Actorum ſcriptorem, ut auſus ſit poſteris commendare Eugeniam curationem nactam vitam egiſſe in Sancta Sion, uti Cl. Falconii verba vides: *Mulier autem ſanata, gratias agens Deo in San-*

vidit decretum mortis, *orare*, *& pſallere incepit*, *cet.* Quomodo his omnibus circa tempora Pentecoſtes peractis, dicatur in fine mortuus Nicolaus menſe Decembri, ego quidem non intelligo, niſi malis, Anonymum, quae ſpatio ſex menſium acciderunt, una oratione narrare voluiſſe, (quod certe inſcite admodum factum eſſet) aut ea narrare, quae probabilia non ſunt. Vidit id Falconius (*a*) in Prolegomenis, ac tacite ex hac difficultate ſeſe expedire conatur, putans, hanc Synodum fuiſſe habitam menſe Septembri. Atque in nota (a) ibidem addit, forte hanc Synodum celebratam ob cauſam trium Capitulorum. Sed id aſſerit quidem, nullo autem modo probat. Sunt conjecturae nullo fundamento nixae. Imo Falconiana conjectura Actis Falconianis congruere non videtur. In Actis legimus: *Imminente autem tempore Roſſaliorum Progenitoris noſtri Sancti Nicolai ad Synodum Servus Dei Nicolaus Myra in Metropolim deſcendit*. Si *Roſſalia* Pentecoſten denotant, & imminente Feſto Pentecoſtes venit ad Synodum: quomodo haec habita menſe Septembri? Scilicet ne feſſus de longo itinere ſtatim ac Myram adveniſſet Synodo miniſtrare cogeretur, praevenit Nicolaus Pinarenſis, & ceteros Patres expectans per tres circiter menſes clementiſſime acquievit.

LXI. Sed neque verum eſt, quod putat Illuſtriſſimus Falconius, *Roſſalia* Feſtum Pentecoſtes ſignificare; imo id Meurſium cogitaſſe fruſtra arbitratur Falconius. Quis enim induci poteſt ut credat, Feſtum Pentecoſtes adeo ignotum eſſe, ut id his verbis, *Panegyris poſt Paſcha celebrari ſolita*, deſignari neceſſe ſit? Ad haec nemo, opinor, poſt Paſcha intelliget quinquageſimum poſt Paſcha diem. Sed haec mirifice explicantur ex illuſtri Theodori Balſamonis loco ad Con-

O ci-

Sancta Sion permanſit: verum omnis culpa reſidet in eo, quod Falconius fidem ordinemque verborum Graecorum rupit turbavitque; etenim Anonymus oppoſite ſcripſit; Ἡ δὲ γυνὴ ἡ ἰαθεῖσα, παρέμενεν ἐν τῇ ἁγίᾳ Σιών, εὐχαριστοῦσα τῷ Θεῷ, & ita tranſfundenda: *Mulier poſtquam curata eſt, permanſit in Sancta Sion, dum Deo gratias ageret*; vides jam quantum diſtet haec γνώμη Anonymi mens ab Falconii ſententia verba ſuſque deque interturbantis.

(a) Pag. 8. cap. VII. num. 3. Prol.

cilium VI. in Trullo habitum Can.LXII. apud Virum ſummum Alexium Mazochium (*a*) *Ex iſtarum*, inquit Balſamon, *monſtroſarum* (ſeu *bibridarum*) *celebritatum genere ſunt & ea, quae Roſalia vocantur, quae poſt Sanctum Paſcha ex prava conſuetudine in ſuburbanis locis aguntur*. Haec Balſamon. Addit Cl. Mazochius: *Ad quem locum notari velim eam celebritatem, dici* ἀλλόκοτον (*allocoton*) quaſi ἀλλότοκον (allotocon) (uti *grammatici* interpretantur) *id eſt alieno partu editam, ſive bibridam: ſic enim ii ritus dici debent, in quibus Ethnicae cerimoniae cum Chriſtianis coëunt, cet*. Si igitur h.m. celebritas *Roſalia* vocata, ex prava conſuetudine agebatur, nullo pacto Feſto Pentecoſtes, quod rite, recteque ab Univerſa Catholica Eccleſia celebratur, convenire poteſt. Quamobrem eleganter concludit laudatus Mazochius: *At Roſalia illa, quae Balſamon criminatur, ſuperſtitione aliqua paganica non caruiſſe crediderim; alioquin a mero roſarum jactu, aut roſeis coronis quid fuiſſet periculi*. Poſtremo idem horum Actorum locus luculenter oſtendit, *Roſalia* de Feſto Pentecoſtes intelligi non poſſe: *Imminente autem tempore Roſſaliorum Progenitoris noſtri S. Nicolai; ad Synodum, cet*. Tollamus e medio *Roſſalia*, & ſubſtituamus Feſtum *Pentecoſtes*. Quid tum ſignificare poterunt haec verba: *Imminente autem tempore Feſti Pentecoſtes Progenitoris noſtri S.Nicolai, cet?* Numquid ea tempeſtate Feſta Pentecoſtes Sanctorum agebantur? Nugae. Aliud ergo ejuſmodi verba ſignificant, quam quod putat Falconius. Id autem melius, quam Viri Summi Alexii Mazochii verbis enucleari nequit. „ *Jam vero*, inquit, *ſicut apud* prophanos in „ clarorum Virorum elationibus *ſparſiones* hujuſmodi copio„ ſae fiebant: idem & in Sanctorum Translationibus apud „ Chriſtianos factitabatur: quo ſpectat, quod apud Neapoli„ tanos S. Januarii, itemque apud Capuanos S. Stephani „ Protomart. Translatio (utraque nunc colitur ineunte men„ ſe Majo, quum maxime roſae vigent; at de S. Janua„ rio olim XXIII. Aprilis) dicitur l'*Ingbirlandata*. Cujus „ vo-

(a) Mazoch. loco cit. pag. 54.

„ vocabuli originem inde repetunt, quod tum in eorum „ Translatione prima, tum in anniverſaria memoria, Cle- „ rici ſertis floreis remiditi occurrerent, ac paſſim roſae, „ ac flores ſpargerentur. Ac vide, ut mutuam ſibi lucem „ affundant S. Januarii l'*Ingbirlandata* a noſtris Graecis cele- „ brata, & S. Timothei *Rhodiſmus*. Nec enim aliud, ni- „ ſi vehementer fallor, eſt *Rhodiſmus*, ſive *Roſalia* S. Ti- „ mothei Patriarchae Alex., quam Feſtum *Translationis* „ *ejusdem*, quod quia die IX. Maii celebratur, quando „ maxima eſt roſae ubertas, credibile eſt, multum jacien- „ dis roſis, ſertiſque nectendis tunc fideles indulſiſſe, in lae- „ titiae argumentum, Sanctique Antiſtitis honorem. Sicuti „ ergo apud noſtros homines l'*Ingbirlandata* tantundem va- „ let ac *Feſtum Translationis*, non abnuerim, & apud Graecos „ *Rhodismum* ejuſdem fuiſſe vocabulum, *a roſarum uſu quaeſitum*.

LXII. Ex hoc prolixiori quidem, ſed inſigni loco magna lux Falconianis Actis affunditur, & viciſſim Acta ipſa Falconiana iis, quae ſapienter Mazochius elucubravit non minorem mutuam reddunt lucem. Neque enim alia ratione horum Actorum verba enucleari poſſunt, quam quod *imminente tempore Translationis Progenitoris noſtri S. Nicolai*. Auctorem horum Actorum Monachum, & quidem Monaſterii Sanctae Sion fuiſſe, pleraque eorundem loca ſatis aperte oſtendunt (confer. num. LVII. II.) Cum autem hoc Monaſterium ab Archimandrita Nicolao S. Nicolai Pinarenſis patruo fuerit aedificatum; merito heic *Progenitor* appellatur, ut eſt etiam a Falconio obſervatum. Crediderim igitur agi hoc in loco de Translatione S. Nicolai Archimandritae in Monaſterium Sanctae Sion, ut ea ratione exitu comprobata appareat ejuſdem Prophetia: praedixerat enim (*a*): *In veritate filii mei novi, quoniam hic locus eſt requiei meae*. Cumque idem Archimandrita quieviſſet in Eccleſia S. Johannis (*b*): *& facta eſt ei requies in Acaliſſo in Eccleſia S. Johannis*: facile adducor, ut credam, poſtea in

O 2 Mo-

(a) In Act. pag. 3. num. 4. (b) Ib. pag. 4. num. 5.

Monaſterium Sanctae Sion fuiſſe translatum, atque ejus Translationis anniverſariam diem intelligi ab Anonymo illis verbis: *Imminente autem tempore Roſſaliorum Progenitoris noſtri S. Nicolai.* Quae ſi vera ſunt, locum habere non poſſunt, quae Cl. Falconius in Prolegomenis ſcribit (*a*): *Porro tunc anniverſarius dies obitus imminebat patrui Nicolai. Hunc Propatorem, & Progenitorem appellant Acta, quia Sanctae Sionis, & Monaſterii Fundator; & erat patruus Nicolai, quem habebant ut genitorem. Sane celebritatem illam, & Panegyrim mortualem Graeci dicunt tempus Roſſaliorum*. Ubi vides Falconii inconſtantiam, quod in notis ad Acta, *Roſſalia* interpretetur *Feſtum Pentecoſtes*; in Prolegomenis vero *celebritatem mortualem*, quam nullo allato exemplo *Roſſalia* a Graecis vocari contendit. Sed jam *Roſſalia* Translationem ſignificare oſtenſum eſt. Cum vero hujus Translationis nulla in Actis Falconianis commemoratio fiat, ſi datur conjecturae locus, putarem haec Anonymum *interpolatorem* ex antiquioribus S. Nicolai Actis conſarcinaſſe, ac memorem non fuiſſe hujus Translationis. Adeout ex his, quae animadvertimus quantam eadem Acta fidem mereantur, luculenter cuique appareat.

LXIII. Quod ſi his omnibus addas, quae ipſe Illuſtriſſimus Falconius pervidet, quaeque nulli negotium faceſſere debere contendit, tum melius quanti ejuſmodi Acta facienda ſint ſine dubio patebit. Primum autem, quod expendendum occurrit, eſt tempus, quo S. Nicolaus Pinarenſis deceſſiſſe dicitur. In Actis Falconianis obitus his verbis deſignatur. *Dei autem ſervus, & Sanctiſſimus Epiſcopus Nicolaus defunctus eſt juxta Dei benignitatem, menſe Decembri, die ſexta, feria quarta, Indictione decima tertia ſub Imperio amantis Chriſti Imperatoris noſtri Juſtiniani, anno decimo octavo; ſub ſedente Sanctiſſimo Archiepiſcopo, & Patriarcha Macario*. Sed hae temporum notae fatente ipſo Falconio (*b*) inter ſe non cohaerent. *Sexta dies Decembris & quarta feria inveniri non poſ-*

(a) Pag. 8. num. 3. cap. VII.   (b) Cit. pag. 8. n. 6.

ſunt in decima tertia Indictione, & cum anno decimo octavo Juſtiniani. Quid igitur agendum? *Corrigendi* (inquit Falconius) *ergo ſunt anni Juſtiniani, & Indictionum. Inclino ad annum* 551. *in quo facilius erravit Amanuenſis: pro Indictione ιέ* (XV.) *ad Decembrem, ſcribens ιγ'* (XIII.) *& pro annis Juſtiniani κέ* (XXV.) *ſcribens ιή* (XVIII.). *Et ita reapſe factum in noſtris ſit: & cuncta procedent recte. Sexta Decembris die, feria quarta, Indictione decima quinta; vigeſimo quinto anno Juſtiniani*. Praeclare omnia & ad *Syſtema* Falconianum confirmandum idonea. Sed facilius emendaſſet Cl. Falconius hoc modo: *Sexta Decembris die, Feria quarta, Indictione decima tertia, octavo anno Juſtiniani*. Facile enim potuit Amanuenſis errare ſcribendo *ιή* (XVIII.) pro *η* (VIII.). Sola igitur *jota* deleta, omnia recte procedunt. Anno enim Juſtiniani octavo, ſexta Decembris dies, Feria Quarta, Indictio XIII. quod ad Decembrem attinet, plane concurrunt. Verum eſt quidem anno Juſtiniani octavo non inveniri Macarium Cpolitanum Patriarcham, ſed poterat Falconius, quemadmodum Eutychium, (de quo vide *n. ſeq.*), ita heic ſubſtituere Epiphanium, quem ab anno 520. uſque ad 535. ſediſſe Baronius refert A. C. 520. num. 7. A. 535. num. 58., cet. Vide etiam G. Marcelli *Memorial. Chronologicum*; necnon Cl. Matthaeum Egizium *in Serie Imperatorum Romanorum* ad An. Chriſti 535. pag. 101. Annus autem Juſtiniani octavus eſt Chriſti 534. Confer etiam Pagium ad ann. 528. §. 7. ubi de Publicatione Novi Codicis Juſtiniani, cet. In Edit. autem Conzii Tit. *de Summa Trinitate, cet.* clare legitur Epiſtola Juſtiniani ad Epiphanium Patriarcham Cpolitanum contra Acemetos, ſeu Vigilantes. Baron. ad ann. 533. 534. Epiphanius vero Patriarcha anno ſequenti e vita deceſſit, cui fuit ſucceſſor Antymus Eutychianus, quo poſt decem menſes depoſito, ordinatus fuit Menna Catholicus anno ſequenti 536. ante menſem April. Baron. & Pag. loc. citat. Conſule etiam Labbaeum in Not. ad Conſtit. Graeco-Lat. X.

LXIV. Cum vero in Actis legatur: *Sedente Sanctiſſimo Ar-*

Archiepiſcopo, & Patriarcha Macario: (Graece: ἐπὶ τοῦ ὁσιωτάτȣ Ἀρχιεπισκόπου ϗ πατριάρχου Μακαρίου) Falconius de more emendat: (*a*) *Sedente Sanctiſſimo, & Beatiſſimo Patre noſtro Eutychio Archiepiſcopo & Patriarcha* (Graece ἐπὶ τȣ̃ ὁσιωτάτου ϗ μακαριωτάτου πατρὸς ἡμῶν Εὐτυχίου, *cet.* Miror heic etiam Cl. Falconium Acta potius voluiſſe pro lubitu emendare, quam ſimplicius de Macario Hieroſolymitano Patriarcha explicare, quem huic tempori anno ſcilicet 551. convenire ipſemet Cl. Vir animadvertit *in Proleg. pag.* 13. *n.*6. Neque obſtat eum Cpolitanum Patriarcham non fuiſſe. Facile enim Actorum Scriptor Anonymus, quem Monachum S. Sion ex ipſis Actis eruitur (conf. num. LVII.) ob Sanctam Sion, cujus virtute potiſſimum Miracula ſuum Nicolaum Pinarenſem patraſſe refert; Hieroſolymitanum potius, quam Cpolitanum Patriarcham in obitu voluit Nicolai deſignare. Quod ſi in his non acquieſcat Illuſtriſſimus Falconius, ex eo quod Cardinalis Baronius ſcribat, Macarium Epiſcopum Hieroſolymitanum ordinatum anno Chriſti 546. biennio poſt e Sede ſua exturbatum fuiſſe, in ejuſque locum ſubrogatum Euſtochium, ut ipſe refert *in Proleg. pag.* 14. *col.* 1. tum poterit hac ratione Acta emendare, nimirum: *Nicolaum Pinarenſem obiiſſe Sexta Decembris die, Feria Sexta, Indictione undecima, vigeſimo primo anno Juſtiniani, ſedente Sanctiſſimo Archiepiſcopo, & Patriarcha Macario*. Et cuncta procedent recte. Annus enim Juſtiniani vigeſimus primus eſt Chriſti 547. *At enim* (inquit Cl. Vir) *in Actis legimus*: ἡμέρᾳ πετάρτῃ: *Feria Quarta*. Sed parvi id referre ajo. Potuit enim Amanuenſis errare ſcribendo πετάρτῃ (Quarta) pro ἕκτῃ (Sexta). Eo vel maxime quod, ut ipſe Falconius ſcribit in Nota (b) pag. 123. Act., in quibuſdam Codicibus *Feria Sexta* legatur. *Acta*, inquit, *dicunt obiiſſe Feria Quarta, non autem Feria Sexta. Codices ergo editi Lectionem legebant diverſam ab Actis noſtris*. Sublata vero hac difficultate, ceterae emendationes non minus admittendae videntur, quam ipſae

(a) Pag. 12. c. IX. num. 1.

ipſae Falconianae. In Actis legitur *Indict.* ιγ′ (XIII.) ann. ιή (XVIII.). Falconius emendat Indictione ιέ (XV.) ann. κέ (XXV.). Ego Falconiano more lego: Indictione ιά (XI.), anno κά. (XXI.) Non video enim, cur liceat Illuſtriſſimo Viro pro ιγ′, ιή emendare ιέ, κέ; mihi vero pro ιγ′, ιή corrigere ιά, κά, non item. In locum namque litterae ε tenuis non ſubſtituo, niſi litteram α. eodem permiſſu, & ipſamet facultate. In quo neſcias quid admireris, utrum facilitatem, qua omnia ad ſuum *Syſtema* firmandum conformat; an potius confidentiam, qua, quae ipſe emendat, corrigitque, ita ſcripta fuiſſe arbitratur. Quid autem hac de re judicandum ſit, Eruditioribus relinquimus. Praeterea animadvertens in Prol. (*a*): *Nullum e ſua Pinarorum Eccleſia veniſſe, ac interfuiſſe funeri ſui Epiſcopi: quod mirandiſſimum eſt ſilentium: par certe (& echus veluti) primo illi de nullo acceſſu, capta poſſeſſione, reſidentia ac regimine ſuae Eccleſiae:* pergit Cl.Vir: *In his tanta accuſanda incuria, & caſtiganda: cum in depoſitione ejus eſt ſumma cura, cet.* Tum numero ſequenti: *Sane ad hoc ſilentium*, inquit, *non habeo quid reponam. Artemam reticentiae incredibilis non accuſo: Amanuenſem utrobique inſimulo: qui pertaeſus prolixitatis, praetermiſerit quae, praeter miracula, neceſſaria non credebat. Accuſatio excuſatoria non in Verrem, ſed pro Rabirio, & pro Muraena. Scimus Nanzianzenum, invitum ordinatum Epiſcopum Cyzicenum, numquam hanc Eccleſiam adiiſſe: Scimus, Michaëlem Ducam a Botaniata Nicephoro ſpoliatum Imperio, e Monaſterio Studii eductum, & electum, ordinatumque Epiſcopum Epheſinum; eo, ut ſuam adiret Eccleſiam, ſemel profectum eſſe. Hinc tanta humanarum rerum, & viciſſitudinum nauſea ductum eſſe; ut illico ad ſua Clauſtra redierit, & ibi vixerit uſque ad mortem. Sed item ſe geſſiſſe inthronizatum Nicolaum, nemini umquam dictum, vel cogitatum. Num ſcriptor religioſus, abhorruit mores, vitia, tricas aliquas Cleri, & Populi traducere, vel taxare? Praecipue, ſi calumnias in ſuum*

Epi-

(a) Pag. 9. c. 7. num. 7.

Epiſcopum ſtruxiſſent, quae non raro Sanctiores exercent Praeſules. Et idcirco, ne maledicus videretur, etiam ab eorum contactu abſtinuit: & , ne a miraculis, collatis & beneficiis, ad maleficia, & crimina, enarranda, ſuis Monachis cogeretur; quae ſeculum & non clauſtra, ſapiebant, voluit potius reſecaſſe? Ex magno ſilentio tantae ſuſpiciones mihi, quae forſitan aliis erunt plures. Hactenus Illuſtriſſimus Falconius. Quanta heic congerit, ut Artemam ſuum excuſet; quum tamen ſimplicius, ac verius dixiſſet, ex ejuſmodi ſilentio ſatis aperte deduci, Anonymum *interpolatorem*, neque omnia, imo ne quae magis quidem referre eum decebat, de ſuo Pinarenſi Nicolao commentatum eſſe! Quid quod idem Anonymus in Actis num. 23. ſcribere non omiſit, Nicolaum fuiſſe calumniis impetitum? Scriptor Religioſus haec referre potuit, abſtinuit vero a narrandis cauſis, ob quas ad ſuam Eccleſiam nunquam advenit, nulluſque ex Pinarenſibus ſui Epiſcopi funeri, nullus, inquam, intervenit? Sed haec clariora ſunt, quam ut pluribus explicemus. Illud in primis animadvertendum, Illuſtriſſimum *Metropolitam* nullum non moviſſe lapidem, ut ea conficeret, quae nulla ratione confici poterant. Acta pro lubitu emendat; quodque ſibi non conſtare animadvertit, manu neſcio an per omnia obſtextrice tandiu vertat, quo uſque tale appareat, quale ſummo ſtuſtio vult videri. Quod ſi nihil habeat, quod reponat, fatetur id quidem, ſed animum non deſpondet: omnia ſcrutatur excogitandi peritus, nil intactum relinquit, ut Acta a ſe edita fidem omnino demereri ſe confeciſſe putet.

LXV. Quamobrem cum Acta Falconiana Centonis inſtar ab Anonymo conſarcinata, veluti cornicula infelix mutuatitiis pennis ornata, luculenter appareant (n.LV. & LVIII.); ea referant, quae ſeculo, quo ſcripta dicuntur, minime congruunt (n.LIX.); quaeque ſibi non conſtare nulla ratione poſſunt, ſi Falconianis interpretationibus ſtandum ſit (n.LX. & LIV.); nuſquam vero manifeſtum fiat, quo certe tempore ſint conſcripta, quicquid emendando, corrigendo, imo commentando contendat Falconius (n.LXIII. & LXIV.); quae autem narranda

Digitized by Google

randa erant turpi ſilentio, ipſomet Illuſtriſſimo *Metropolita* fatente, obruantur (n.LXIV.); quodque caput eſt, res tradant, quae minime convenire poſſunt, tum ratione temporis, tum ratione eorum, quae geſta dicuntur a S.NICOLAO Archiepiſcopo Myrenſi hactenus ab Eccleſia Univerſa culto: quin imo quemdam Nicolaum hactenus toti Eccleſiae ignotum colendum proponant, refragantibus S.Methodio Patriarcha Cpolitano, Leone VI. Imperatore, ſeu potius S. Andrea Epiſcopo Cretenſi (n.XXIV.) & Simeone Metaphraſte, quorum auctoritatem Clariſſimi Critici huc uſque non potuerunt labefactare, multo minus Falconius (n.XIII. ſeqq. n.XXIV. ad XXVII.); imo S. NICOLAO Myrenſi Archiepiſcopo faventibus monumentis non contemnendis (num. XXXIII. XXXIV. XL.) ac potiſſimum Breviario Romano, ſicut & Pariſienſi (n.LI. LII.): recte inde colligere mihi videntur, qui de S. NICOLAO Myrenſi bene, ut par eſt, merentur, aut hujuſmodi Acta a quodam Graeculo tenebrione fuiſſe conficta ad ſuum Pinarenſem Nicolaum extollendum, eumque pleraque ex antiquioribus veri NICOLAI Myrenſis Actis fuiſſe mutuatum; (*a*) aut, ut ſincere dicam, quod potius ſentio, primum eadem Acta pro Nicolao Pinarenſi, ſed a Myrenſi, & tempore, & dignitate, & Sanctimonia diverſo, fuiſſe conſcripta; deinde ab inſulſo,

P igna-

(a) Id certe Actorum Falconii Titulus ſuadet, qui eſt hujuſmodi: *Vita, & Converſatio Sancti Patris noſtri* NICOLAI, *qui fuit Archimandrita, & Archiepiſcopus Civitatis Myrorum*. Confer pag. 1. in Act. Verum eſt quidem Falconium pag. 26. Proleg. num. 10. ſcripſiſſe: *Fatemur etiam ab Actorum noſtrorum amanuenſi, illis, decimo ſeculo factam inſcriptionem, ſub nomine* NICOLAI *Archimandritae, & Archiepiſcopi Myrenſis. Sed noſter amanuenſis voluit, ſe uſui ſui ſeculi in Epigraphe accomodare; intus vero pro veritate, ſemper ſcribere, & ſonare, Pinarenſem Epiſcopum Nicolaum. Arte igitur, & data Opera potius, quam caſu, vel lapſu, & ex uſu ita ſcripſiſſe noſtrum putem amanuenſem . . . . An ne enim huic cortici ex integro adhaeremus, ſubſtantiam negligamus, qua totus ſonat Epiſcopum Pinarenſem?* Ea tamen non ejus ſunt ponderis, ut ſatis cuilibet facere poſſint, praeſertim, quod res adeo ſit clara, ut nullus detur interpetrationi locus. Amanuenſis enim potius ſcribere debebat: *Qui Archimandrita, & Archiepiſcopus Civitatis Myrorum fuiſſe fertur*; quam, *qui fuit Archimandrita, & Archiepiſcopus Civitatis Myrorum*, ſi vera eſſent, quae Falconius comminiſcitur.

ignaroque Graeculo, nominis αὐτότητι (*identitate*) decepto, imprudenter ita *interpolata*, ut ex Myrenſis & Pinarenſis Actis Centonem pro uno Pinarenſi conſarcinaverit. Sed quodcumque de iiſdem judicium feratur, nemo inter doctos eruditoſque viros, atque in Eccleſiaſtica hiſtoria diu, multumque verſatos induci, (aut ego vehementiſſime fallor) induci, inquam, poterit, ut credat, ea omnem fidem, ut Cl. Falconius contendit, mereri ad Nicolaum Myrenſem exturbandum, ac Pinarenſem in ſede non ſua collocandum. (*a*)

CA-

(a) Haec non longe a vero abeſſe ex iis etiam, quae Falconius ſcribit, erui facillime poteſt. Putat Cl. Auctor. hanc vitam partim a Nicolao Archimandrita S. Nicolai Patruo, partim ab ipſo S. Nicolao fuiſſe ſcriptam, ab Artema deinde compoſitam, ita ut Artemas ipſe non tam *Auctor, & Exegeta ejus Vitae, quam Rhapſodus fuerit, & purus putus conſarcinator*. Vide Falc. in Proleg. cap. 3. num. 6. & 7. pag. 3. Nil igitur vetat, quominus dicamus, Anonymum horum Actorum Scriptorem, quem non Artemam, ſed alium quempiam fuiſſe inferius oſtendemus, ex antiquioribus S. Nicolai *Metropolitae* Myrenſis Actis Vitam pro ſuo Nicolao Pinarenſi conſarcinaſſe, quod ex his etiam manifeſtius, ac brevius deduci poſſe arbitror, 1. Claris, indubitatiſque argumentis demonſtratum eſt (Capitibus potiſſimum V. VI. VII.) S. Nicolaum Myrenſem Epiſcopum extitiſſe, & quidem multo ante Pinarenſem, quem Saeculo ſexto floruiſſe ex Actis Falconianis eruitur, quum in iis Capite 29. legatur a Philippum Myrorum Archiepiſcopum, qui tempore Concilii Generalis V. Ann. 553. coacti vivebat, Nicolaum Pinarorum Epiſcopum renunciaſſe. 2. Plura plane, tanquam ovo ovum ſimilia iis, quae de Pinarenſi in iiſdem Actis narrantur, de S. Nicolao Myrenſi apud Metaphraſten praecipue leguntur. Haec autem niſi, quae inferius n. LXXIX. credibilia demonſtrabimus, heic etiam admittere velis, vehementer ſuadent, ut putemus alterum ab altero ea mutuatum eſſe. 3. Quoniam autem Metaphraſten Acta Falconiana expilaſſe, ut Falconii verbo utar, incredibile prorſus eſſe ſuperius demonſtravimus (n. LV.): reliquum eſt, ut dicamus, aut Acta Falconiana fuiſſe a quopiam Graeculo conficta, praeſertim quod per XII. fere ſaecula nulla apud Scriptores Pinarenſis Nicolai habita mentio fuerit, imo ne veſtigium quidem appareat, Virum Vitae Sanctimonia, ac Miraculis celeberrimum umquam extitiſſe, quod certe mirum quique videri poteſt. Aut extitiſſe quidem Nicolaum Pinarenſem, ejuſque Vitam, ac praecipua geſta fuiſſe primum ſincere ſcripto tradita; Acta vero hujuſmodi deinde fuiſſe *interpolata*, & (quod vero ſimilius mihi videtur) multa ex Myrenſi Nicolao in Pinarenſem derivata fuiſſe. Cumque primum ſine indubiis, quo id probem, argumentis aſſerere non auſim, perſpicuum attendenti fit, quod alterum fateamur oporteat; nimirum Acta Falconiana eſſe reapſe interpolata, & neſcio quo modo ex antiquioribus

for-

CAPUT ULTIMUM.

Brevis excurſio in Prolegomena & Notas in Acta omnia, quae Illuſtriſſimus Falconius edi curavit.

LXVI. PRimum, quod hoc loco animadverſione dignum occurrit, illud eſt, Cl. Falconium Titulum Actis a ſe editis praefigi curaviſſe: *S. Nicolai Acta omnia*, (*a*) cum tamen ipſemet Illuſtriſs. *Metropolita* in Admonitione poſt Acta Graeca haec ſcripſerit (*b*): „ Sat ſcimus, alia Graeca in MSS. antiquis inveniri, quae de noſtro Beato Nicolao agunt: ſed „ quod nos iis caremus, cogimur ea omittere, & edenda aliis „ (ſi placuerit) relaxare „. Et deinde quaenam ſint ea Acta „ indicare non omittit. Tum pergit: „ Hiſce nos deſtituimur: „ quae ſi poſſent haberi, ad criterium eſſent optima. Deſtituimur etiam illa Vita, quam Graece haberi in Codice Coislinianae ſuae [hodie in Regia] teſtatur Cl. Montfauconius; cujus initium eſt diverſum ab omnibus, quae attulimus. Idem in Palaeographia Graeca ſub finem, dum „ habet hiſtoriam Montis Atho, & quae Sanctorum Reliquiae ibi ſerventur; multa habet notanda, quae ſpectent „ ad Nicolaum „. Confer quae ſuperius diſſeruimus de

 Leo-

fortaſſe Actis S. Nicolai Myrenſis, atque ex iis, quae Pinarenſis geſſit in unum *conſarcinata*. Quibus omnibus huc uſque dictis maxime etiam confert, & juvat, id quod ſummus, & doctiſſimus Joſeph Simonius Aſſemanus Vaticanae Bibliothecae Praefectus, cet. ſapientiſſime nuper advertit, noſque pariter per Epiſtolam benigniſſime admonuit, *Acta* ſcilicet *Nicolai Pinarenſis* (quae extant in Codice Vaticano a Falconio in lucem edita, & magno conatu Prolegomenis, notiſque illuſtrata) *non eſſe antiquiora Actis* S. Nicolai *Epiſcopi Myrenſis*. Nam in eodem Codice n. 821. a pag. 249. ad 283. *poſt Acta Pinarenſis Nicolai ſubjunguntur eodem charactere, eademque manu Acta* S. Nicolai *Myrenſis*; ſtiluſque utrorumque Actorum, tum Myrenſis, quam Pinarenſis non VI., uti Falconio placet, ſed IX. Saeculi Auctorem demonſtrat.

(a) Vide a pag. 1. uſque ad calc. oper.

(b) Pag. 108.

Leone VI. Imperatore (n.xxiv.). Ex quo duo conſequuntur. I. Quod operae pretium feciſſet Cl. Falconius, ſi haec etiam conquiri curaſſet, atque item typis vulgari, quum ut omnia ſe edidiſſe, ut in *Titulo* praefixit, re ipſa comprobaret; tum praecipue ut judicio rectius ferendo deſervire poſſent. Potius enim Graeca hujuſmodi typis vulgari eum decebat, quam Tillemontium, Bailletum, Morerium, qui omnes publice proſtant. II. Quoniam tam multa MSS. Graeca, quae de S. Nicolao agunt, in Bibliothecis otioſa jacent, recte inde quoque conſequitur, nulla ratione ab Illuſtriſs. Falconio confectum, ut e ſuo loco Archiepiſcopus Myrenſis exturbetur; imo ſuſpicio ſuboriri poteſt, ea Falconium Acta edi curaſſe, quae ſuo *ſyſtemati* aliquantulum deſervire poſſent, alia vero, quae eidem evertendo fuiſſent apta, conſulto omiſiſſe. Quam ſuſpicionem ex iis etiam, quae Falconius differit, confirmari, inferius luculenter quiſque perſpiciet.

LXVII. Deinde, ut ea, quae circa ſtilum, ac *Graeciſmos* omittamus, ſingulis enim Scriptoribus ſuae ſunt dicendi Veneres, ſuique Orationis naevi, neque omnia poſſumus omnes. Illud certe ſilentio non obruendum, ea confidentia Cl. Falconium ſua cogitata, ſuaſque conjecturas aliis proponere, ut ceteros ſcriptores, qui Nicolao *Metropolitae* Myrenſi opportune ſavent, non videre, deſipere, falli denique inſipienter, ſaepe ſaepius exclamet. Adeo ut de eodem Falconio ſcripſiſſe videatur celeberrimus Johannes Bollandus, cum ejuſmodi Scriptorum mores ſugillat (*a*): „ At ſunt quidam, qui non ſolum ſibi a reprehenſionibus non temperant, ſed in maledicta, contumelias, iracundias, contentioneſque pertinaces „ prorumpunt. Alii cum videri velint ſine ulla iracundia diſputare, ac ſcribere, & magnam adhibere moderationem, „ praeſertim Criticorum e numero, haec tamen paſſim uſurpant: *logi*, *nugae*, *gerrae*, *fabulae*, *ſomnia*, *ſtertere* hic „ Auctor videtur, an non *ſomniavit* cum iſta ſcripſit? *ſatiſne ſobrius* ſuit cum id dixit? Videre id debuit, ſi *quid*

„ *quam*

(a) Bolland. Praefat. gener. cap. II. §. VI. pag. XXX.

„ *quam vidit, cet.* At quis omnia videt? Quis omnia etiam „ ante pedes poſita attendit? Quis *omnia capit?* „ Quae, ſi non omnia, praecipua ſaltem a Falconio uſurpata obſervare poteris, cum ejus Prolegomena meras crepent *nugas*, *gerras*, *fabulas*, *ſomnia*, *tenebriones*, *monſtra*, *cet.* quod ſi nos eadem aliquando uſurpavimus, ingenue fatemur, nobis ea imprudentibus excidiſſe; difficile namque eſt, ex lectione Operis Falconiani inter tot gerras, nugas, fabulas, cet. ita ambulare, ut earum aliquae tanquam veſtibus ſpinae, non adhaereant, praeſertim cum Sacer Concionator nos admoneat ſapientiſſime: *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea: & qui communicaverit ſuperbo, induet ſuperbiam*. Ceterum non eo haec dicimus, ut invidiam Illuſtriſſimo *Metropolitae* creemus, ſed ut quiſque probe, recteque animadvertat, haec nullatenus eum decere, qui totus, ut praeſefert, quantuſque eſt, inveniendae veritati datus videtur. Illud etiam heic non omittendum, ſatis confidenter Cl. Virum ſcripſiſſe: (*a*) *P. Beatillum data opera Acta ab ipſo inventa occuluiſſe*, ac *Bollandianis Cl. Viris non miſiſſe*. Praeterquam quod enim heic non eſt nimium conjecturis indulgendum, ſed argumentis, iiſque evidentibus, id oſtendendum erat; ſi P. Beatilli *oeconomiam* in ſcribendo ſpectemus, ſatis ſuperque perſpicuum fiet, eundem S. Nicolai *Biographum*, ut ut nimis oſcitanter ſe geſſerit, omnia tamen ſincere expoſuiſſe, fonteſque ipſos, unde ſua hauſerat, indice Auctorum ad calcem dato, aperte indicaſſe; quae certe Viri non ſunt, qui veritatem occultare, atque *Sycophantam* agere in animo habet. Adeo ut doctis probiſque Viris minime probanda ſint, quae Cl. Falconius adverſum eundem P. Beatillum ſcribit (*b*): *Quid quod Beatillus, etiam, quarto loco, haec Acta noſtra habuit e Vaticana, & legit? Sed detorſit, occuluit, quod non ſonabant Conſtantinum Magnum, nec Myrenſem Archiepiſcopum Nicolaum? Mater Sancti, ei eſt Johanna, non Nonna* (*nomen iis temporibus per Graeciam uſitatum*): *bene & re-*

(a) Pag. 2. cap. 2. nu. 1. nota (a) (b) In Act. pag. 141. not, (g)

Digitized by Google

recte Pater eſt Epiphanius: confer alia; & fidem, ſolertiam hominis demirare. Quid multis? Omnia expilat Acta, corrumpit, detorquet, ubi ipſi non ſedent, ut conferenti patebit: & ſumma vafritie verſipellis ea ne dum non citat, ſed etiam omnibus, ſuo quoque Bollando, cui tanta miſit, ſummo ſtudio occultat. Itaut modo ejus Patres Antverpiae, praeter haec, habeant ferme omnia Nicolai: teſtibus mihi Sollerio, & Janningo. Mitius agendum erat cum Scriptore, qui quantum potuit ſincere omnia narrat, ut ut in pleriſque aliquid humani paſſus ſit. (Confer. num. XLII.)

LXVIII. Quanto vero animi affectu feratur Cl. Vir erga Acta a ſe inventa, quae *theſaurum* ſuum non raro appellat, vel ex eo colligi aperte poteſt, quod cum vidiſſet, Anonymum horum Actorum Scriptorem totum eſſe ab initio ad finem uſque in colligendis prodigiis ac miraculis, nihil vero referre de ejus virtutibus, & quomodo ad tam ſublimem Sanctitatis gradum aſcenderit: eum Sanctos Evangeliſtas imitatum eſſe putat (*a*). *At noſter Author*, ait Falconius) *ab initio ad finem uſque, totus eſt in colligendo prodigia & miracula: iiſque corollam magnam indeſinenter intexit. In quo tres alios ſequitur ſanctos Evangeliſtas, plusquam in Apoſtolicis Actis Lucam*. Quantam heic gratiam Falconio habemus! Si id ita eſt, poſt Evangelia, hujuſmodi Anonymi Acta legenda ſunt; non minus enim in iis nos pervolvendis profecturos, quam in Evangeliis legendis confido. At, ſi id eſt imitari Evangeliſtas, ſcribere ut fecit Anonymus, ne brevi plures Evangeliſtas, quam imperitos Centonum Sarcinatores pro omnium bono nanciſcemur. At enim, inſurgit Falconius (*b*), hujuſmodi Acta ab Artema, Nicolai Fratre, Viro humilitatis ſtudioſo & juſto fuerunt conſcripta. Sed id eſt quod negamus. Numquam enim induci poſſum, ut credam, Artemam, *qui tantae fuit humilitatis, ut ſuum nomen non prodiderit, ubi gloria: diſerte vero apparuerit (ut Matthaeus, ut Paulus, ut Ephrem Syrus, ut*

(a) Pag. 3. n. 5. cap. III. in Prol. (b) Ib. nu. 8.

ut Auguſtinus) ubi ejus zelum retuderat S. Pater , cet. (*a*). Artemam , inquam , eorundem fuiſſe Auctorem , ſcripſiſſe tamen de ſe ipſo : (*b*) *Et bonum & ſervum Dei Artemam aſperavit; cet.* Et: (*c*) *Aſſiſtentibus ei genuinis ejus Fratribus, Artema Reverendiſſimo Presbytero...* Et: *Una cum Artema Reverendiſſimo Presbytero, & Archimandrita* . Quod ſi contendat Cl. Falconius haec eſſe a manu *interpolatoris* cujusdam, tum quiſque manifeſte perſpiciet , id conſuetum Criticorum effugium eſſe. Eſto vero, ut Falconius putat . Verba exſcripta a manu *interpolatoris* ſunto. Fuiſſe etiam , dicat quiſpiam, ab ejus manu cetera, quae ſequuntur de tempore, quo Nicolaus Pinarenſis deceſſit; ipſumque Nicolaum Pinarenſem fuiſſe Epiſcopum , ex ſolo *interpolatore* haberi. In ſumma, quaecumque S. Nicolao Myrenſi adverſantur, *interpolatorum* manu ſunt. Quod ſi haec Falconio non arrident ; ſua quoque ab aliis non probari aequo animo patiatur. Sed ad alia properandum .

LXIX. Ex Falconio (*d*) vox θεῖος *Graece magis avunculum ſignificat . quam patruum . Sed in ejus verſione nos eum cum communi ſententia patruum deſignavimus*. Heic duo notanda 1. Hanc vocem ſimpliciter, ac generatim non magis *patruum*, quam *avunculum* ſignificare , teſtibus Polluce & Euſtathio (*e*) 2. Interdum vero cum adjectione ad tollendam ambiguitatem, ὁ πρὸς πατρὸς θεῖος, *patruus*, ὁ πρὸς μητρὸς θεῖος, *avunculus* dicitur , quemadmodum θεία eadem ratione vel *amitam* vel *materteram* ſignificat . Profecto aetate Juſtiniani, quo tempore haec acta fuiſſe conſcripta Cl. Falconius contendit, *Patruus eſt Patris Frater. . . . Avunculus eſt frater Matris . . . . . & uterque promiſcue* θεῖος *appellatur . Amita eſt Patris Soror . . . . Matertera vero Matris Soror . . . . & utraque promiſcue* θεία *appellatur*: ſunt verba Imperatoris Juſtiniani (*f*) 2. Demus Cl. Falconio magis eam vocem

(a) Cit. num. 8.
(b) Pag. 17. n. 19. in Act.
(c) Pag. 29. nu. 31. in Act.
(d) Prol. pag. 4. num. 4. c. IV.
(e) Vid. Lexica.
(f) Inſtit. tit. de Grad. 3. & ib. Vin.

Digitized by Google

avunculum ſignificare, quam *patruum*; non video cur debuerit cum communi ſententia (cui tamen non adhaeret ſemper (*a*)) eam *patrui* nomine Latine deſignare. Si enim per *communem ſententiam* intelligit ceteros ſcriptores Geſtorum S. Nicolai Archiepiſcopi Myrenſis, mirum cuique videri poterit, ad eos Illuſtriſſimum *Metropolitanū* provocare, quos omnes hallucinatos eſſe arbitratur, ac falſos de ejusdem S. Nicolai genere, patria, opibus, dignitate. Scilicet id *ſyſtemati* ſuo nihil officit; atque idcirco communem heic ſequitur ſententiam (*b*). Carpit deinde (*c*) neſcio quem ſuorum actorum *interpolatorem*, quod ei placuerit ſcribere ad duas S. Nicolaum horas rectum in pelvi ſtetiſſe, non vero *dimidia ferme hora*, quemadmodum Lycius Cuſtos Sepulcri Myra anno 1087. veroſimilius tradidit. Ad quem locum plura ſunt notanda: I. Acta Falconiana, Falconio heic fatente, fuerunt *interpolata*: quid igitur vetat, quin dicamus, e manu *interpolatoris* eſſe, quae S. Nicolao Myrenſi minime congruere poſſunt, ut ignotum hactenus Pinarenſem in ſcenam produceret? (Confer num. LXVIII.) II. Cl. Viri heic inconſtantiam admiror, qui potius auctori credit poſt ſex ſaecula aliquod narranti, quam antiquiori, imo coaevo; cum tamen S. Methodium, Leonem Imperatorem, Simeonem Metaphraſten ſemper tanquam Scriptores recentes ſuggillet. III. Tandem videtur Cl. Vir miracula voluiſſe, atque ea miracula, quae naturam ſupergrediuntur, naturali ratione metiri. Neque enim haec tanquam miracula narrarentur, ſi ordinarias naturae leges ſpectarent. Sed Critico nil antiquius, quam, ea quae mirabiliora e Sanctorum Vitis detrahere, idque vocat eaſdem emendatiores praebere (*d*) Profecto addit Falconius: *Ad haec praeterea adhuc quaero, an ſui poterant, ad duas ferme horas,*

(a) In Actis pag. 10. not. (1)

(b) Suſpicor Falconium ſecutum Metaphraſten, licet eum ne nominet quidem, ne ejus auctoritati inniti videatur. Metaphraſtes enim in Act. pag. 88. num. 3. ſcribit: Προτροπῇ τοίνυν τοῦ πρὸς πατρὸς αὐτοῦ θείου, *Hortatu igitur ejus patrui*. Ubi vides vocem θεῖος conjunctam cum πρὸς πατρὸς ut *patruum* deſignet.

(c) Pag. 4. cap. 4. n. 4. Prol.

(d) P. Honor. animad. crit. tom. 1. diſſert. 11. Part. 2. art. 5. pag. 131. col. 2. in fin.

ras, *neonatum*, *hoc eſt recens natum*, *nudum in pelvi* (*et qua parte anni ſi fuit hyems*) *conſiſtere*, *&* *ſubſtinere?* Sed ſi ad dimidium horae, cur non ad duas ferme horas? Viderant, qui aderant, per dimidium horae rem tam mirabilem, nulla igitur erat ſufficiens ratio, cur eum nudum in pelvi non ſubſtineret per duas ferme horas; imo prodigium tam mirandum cauſa eſſe debebat, cur finem quoque ſpectarent. Heic melius cum S. Ambroſio, quem Falconius laudat (*a*) dicendum: *Quae ſupra naturam*, *ſupra conſuetudinem fiunt*, *non humanis aſſignanda virtutibus*, *ſed divinis referenda ſunt poteſtatibus*.

LXX. Mitto heic, quod Illuſtriſſimus Falconius nullo fundamento nixus *Epocham*, & tempus figere conetur, quo vixit S. Nicolaus; cum tamen ſuus Artemas ſileat; mitto quoque reliqua de ejus Sancti Actis, quorum Epitomen pro lubitu componit, modo ſupplendo, modo detrahendo, ſemper tamen omnia concinnando ad ſuum *Syſtema* formandum. Mitto tandem *ſucculentiorem Lyciae faciem* ex ſuis Actis delineatam, quamvis nullo veterum ſuffultus teſtimonio Falconius dederit: illud certe animadverſione dignum arbitror, (*b*) Virum Cl. agentem capite 7. de Nicolai Geſtis, poſt *aſſumptum Epiſcopatum*, vehementer dolere nihil de Nicolai primo acceſſu ad Urbem Pinarenſem, *atque uti ab ſua Eccleſia exceptus ſit . . . . . &* *quo in ſtatu invenerit Eccleſiam ſibi impoſitam*, *ut quid novus Epiſcopus*, *&* *tantae Sanctitatis &* *zeli in ea ſit operatus non lateret*, in ſuis Actis ab Artema narrari. Putat proinde nullo pacto Artemam *haec reliquiſſe*, *aut relinquere potuiſſe*; *ſed potius haec omnia ſummo fato omiſſa*, *&* *ita deperdita; dum dormitans antiquior Amanuenſis exſcripſit; &* *ea cuncta ſupergreſſus*, *volitans oculis dereliquit*. *Damnum hoc eſt irreparabile*, *&* *lugendum maxime: quod alium horum Actorum Codicem* (*ex ſumma Myrenſium malitia*) *non habemus*. Rogo heic ego doctiſſimos Viros, qui ad haec legenda humaniter

Q de-

(a) Pag. 5. n. 5. Proleg. (b) Pag. 7. n. 1.

deſcendent, ut pauliſper, quae Falconius ſcribit, attentius perpendant, tum judicent, utrum Cl. hic *Metropolita* veritatem inquirat, an potius *ſyſtemata* pro lubitu componat, iiſque firmatis, ita illa impenſe diligat, ac mordicus teneat, ut cuncta illis firmandis deſervire debeant. Videt multa deeſſe ſuo *theſauro*, Actis nimirum a ſe editis; ea tamen tanquam manca, atque imperfecta non abjicit; ſuum Artemam non accuſat; amanuenſes nimium oſcitantes taxat; Myrenſes ſuggillat, quorum malitia factum putat, ut alios horum Actorum Codices non habeamus. Quaſi tantae fuerint Myrenſes poteſtatis, divinae potius, quam humanae, ut Codices omnes, Falconiano *theſauro* excepto, perdere potuerint, ne aliquando prodeat Pinarenſis Nicolaus, & Myrenſem exturbet. Sed hiſce non eſt contentus Cl. Vir: *Et hoc unum eſt*, pergit, *pro magno ſolatio, interrogare; num quae de Templis, & illo vulgato Dianae in primis, Methodius narrat, & Metaphraſtes, ſint ad Pinara, pro Myris, & Patara referenda? Ad Xanthi namque ripas erat quoque Latonae Templum. Et an hic alia egit Sanctus, quae in hoc etiam lacu Curtio demerſa ſint?* Quam multa excogitat, ut hos Actorum hiatus claudat, & ſecurus incedat! Quam felix fuiſſet Metaphraſtes, ſi talem ac tantum Patronum inveniſſet! Neque enim tunc Nicolaus Myrenſis vi tanta, quantam patitur, e ſua demoveretur ſede, quemadmodum Falconius eum exturbare, fruſtra tamen, totis viribus conatur. Sed his non immorandum.

LXXI. Exponens Cl. Falconius cauſas, cur tandiu Acta a ſe inventa latuerint, inter alia ſcribit (*a*): *Sed jamdiu Corpus Sancti e Pharrois, & Territorio Myrenſi, in Cathedralem Myrorum Eccleſiam, Sanctae Irenis nomine nuncupatam, translatum fuerat. Id ſane factum: & ita ſemper ſtetit, ad undecimum uſque ſeculum, & annum* 1087. *quo inde ablatum eſt a Barenſibus, & in eorum adductum Urbem. Hoc autem factum puto poſt mortem Artemae, qui fratre ſuo ſenior Nicolao*

(a) Pag. 15. cap. XI. num. I. Prol.

Digitized by Google

colao , paulo poſt ipſum , anno circiter 560. oportuit obiiſſe . Sanctus defunctus eſt annorum 72. menſe Decembri . Dandus igitur Artemae obitus , ut latius , anno 560. jam dicto . Geſtum (pergit num. 2.) *id putem ab eodem Philippo Myrorum Metropolita , ſub quo obierat , vel ſuapte , vel ſui Cleri precibus fatigato* . Et infra *: Translationi ſuus datus eſt color ; Fortaſſe initiis naturalis : vel ad tollendas turbas a Monaſterio , quae Clauſtri ſilentia peſſumdabant : vel conſulendo concurſui maximo populorum , qui in Pharrois , in parva Eccleſia Monaſterii anguſtabatur . Et rixis , querelisque magnis praebebat locum : vel denique , ut tanto theſauro urbem ditarent ſuam ; & decentius cultui Sancti conſuleretur* . Omnia perbelle & metaphraſticōs . Puto enim Metaphraſten ipſum , ſi ita in Sanctorum Vitis conſcribendis ſe geſſit , ut Falconius , falſo tamen , arbitratur , non potuiſſe tam confidenter Epochas ſignare , aetates figere , eventus pro *Syſtemate* jam conſtituto componere , fingere quoque , & Poëtarum more veroſimilia perſequi , ut fecit Falconius ipſe : Si Criticum agere eſt ita ſe gerere , ut facit Cl. Vir ; ſine dubio equidem Fabularum Romanenſium compoſitores non imi ſubſellii Critici ſunt . Et re quidem vera 1. Si Cathedralem Myrorum Eccleſiam excipias , quam ſub nomine S. Irenis Acta Falconiana deſcribunt , cetera omnia , quae ex eodem Cl. Viro retulimus , nullo teſtimonio nituntur . Et quod ad Translationem Corporis S. Nicolai e Pharrois in Eccleſiam S. Irenis , non ſolum id ex Actis nuſquam eruitur , ſed ne vero quidem ſimile exiſtimandum eſt . Quis enim credat nuſquam de h. m. Translatione mentionem fieri , quum eam S. Nicolai Archimandritae Anonymus Scriptor ſaltem indicaverit ? (*a*) Sed id , inquit Falconius , poſt Artemae obitum forte actum eſt . At vero id erat probandum . 2. Deinde quaedam Martyrologia , referente Bailleto (*b*), plures nobis feſtos dies exhibent S. Nicolai , *Translationis* nimirum in Civitatem Barii , *Ordinationis* ,

(a) Vid. Act. Falcon. num. 31. & heic n. LX. ſeqq.

(b) Apud Falcon. pag. 67. cap. 2. num. 5.

Digitized by Google

tionis, ſeu *Cathedrae*, *Nativitatis* etiam, quod inauditum eſſe laudatus Auctor arbitratur; nuſquam tamen ejus Translationis e Pharrois ad Eccleſiam Myrenſem aliqua ſit mentio.

LXXII. Praeterea explorata res videtur, Eccleſiam S. Nicolai, e qua Barienſes ejus Corpus anno 1087. abſtulerunt, atque huc in Civitatem Barii tranſtulerunt, prope a Myra exſtitiſſe. Scriptor coaevus Johannes Archidiaconus teſtis eſt locupletiſſimus: (*a*) *Interea*, inquit, *fama pernicibus alis volans*, *incolis Myraei Caſtri*, *quod non longius milliario uno ab eadem Eccleſia in monticulo quodam ſitum eſt*, *aures multorum triſti voce percutiens*, *id quod geſtum erat nuntiavit*. Ibi etiam Monachos extitiſſe, qui Eccleſiam cuſtodirent, ex eodem Johanne diſcimus, cui conſonat Nicephorus (*b*), qui licet eos Cuſtodes tantum nominet, in comperto tamen eſt, eos fuiſſe Monachos. Refert enim: *Interea iidem indigenae ibi vident aſſiſtere deſtentem quendam e Paramonariis illius orbatae ac deſolatae Eccleſiae: quem capientes*, *dum affligerent in multis verberibus*, *quod idem ipſe per pecuniam Sanctum tradidiſſet Corpus cum Sociis ſuis*. Eſt autem Παραμονάριος (Paramonarius) *adminiſter Monaſterii* ex Johanne Meurſio in ſuo Gloſſario Graeco-Barbaro Abbrev. Diſcimus etiam idem ex Bailleto (*c*), qui pariter addit ibi fuiſſe Monaſterium nomine S. Sion. Jam vero cum Metaphraſtes ſcribat (*d*), S. Nicolai Corpus in Templo, quod eſt Myris, fuiſſe depoſitum; Johannes autem Diaconus, vel quicumque alius fuerit, ſatis aperte narret (*e*): *Poſitumque eſt Sacratiſſimum Corpus ejus in141 glorioſiſſima Domo Sanctae Sion*; antea vero dixerat, S. Nicolaum Myris obiiſſe: videtur ex his omnibus luculenter confici poſſe (*f*), S. Nicolaum non in Monaſterio

(a) Cap. IX. apud Surium die IX. Maji a pag. 116. edit. Colon. Agrip. ann. 1618.

(b) Apud Falcon. pag. 135. num. 7.

(c) Apud Falcon. Proleg. pag. 66. num. 9.

(d) Apud Falcon. pag. 107. num. 31.

(e) Apud Falcon. pag. 124. num. XVIII.

(f) Niſi velit Cl. Vir, Monaſterium Sanctae Sion in Pharrois illud eſſe, quod non longius milliario uno a Myrenſi Civitate fuiſſe ſcribit Johannes Archidiaconus. Semper tamen verum erit, nunquam in Cathedralem Eccleſiam fuiſſe translatum. Ceterum utrum Johannes

Digitized by Google

ſterio Sanctae Sion in Pharrois vita excidiſſe, ac poſtmodum Myra fuiſſe translatum, ut contendit Cl. Falconius, ſed Myris, atque ibidem in Monaſterio S. Sion, quod prope extabat, fuiſſe depoſitum; ibique permanſiſſe ab obitu ad Annum 1087. uſque, quo Anno illud ab eadem Eccleſia in hanc Civitatem Barienſes tranſtulerunt. Illud certe in comperto eſt, Anno 807. Corpus S. NICOLAI Myris extitiſſe teſte locupletiſſimo Theophane (*a*): *Hoc*, inquit, *Anno* (807.) *menſe Septembri Aaron Arabum Dux Chumid cum valida Claſſe adverſus Rhodum inſtruxit*. „ Is ex improviſo navigatione „ ſuſcepta, Rhodum appellens, ingentem praedae copiam ex „ ea abegit, arce ſola vaſtitatis immuni ſervata. At certe redeuntem Sanctus, & mirandorum opifex NICOLAUS manife„ ſta ultione exagitavit. Myra etenim occupata, cum Sacram „ ejus urnam confringere tentaret, & in vicinam (*b*) vim & „ ictus inferret: extemplo immanis ventorum procella, mari„ norum fluctuum impetus, tonitruum, fulgurumque promi„ ſcua tempeſtas adeo Claſſem jactavit, ut pleraeque Naves „ conquaſſatae ſubmergerentur, ipſeque Dei hoſtis Chumid „ Sancti Virtutem expertus vix, ac praeter ſpem eam potue„ rit effugere „. Cum vero apud Falconium (*c*) legamus, in Ec-

nes Diaconus ex Actis Falconianis multa derivaverit in ea, quae ipſe ex S. Methodio refert, mihi non ſatis liquere fateor. Scribit quidem laudatus Johannes pag. 113. num. 1. (ut in Actis apud Falconium): *Cetera quoque Miracula ejus* (S. Nicolai) *ex aliis Doctoribus ſumentes magis ſenſum, quam verba praetulimus*. Ex quo cum Acta Falconiana expilaſſe deduci aperte poſſet; quoniam tamen apud eundem Johannem legimus etiam: *Exceſſum vero ejus qualiter a Saeculo abierit; ideo non ſcripſimus, quia nuſquam illum invenire poterimus*. Pagina autem 123., & Mortem S. Nicolai, ac tempus quo obiit manifeſte refert, quemadmodum & alia, quae in Actis Falconianis nuſquam leguntur, facile quiſque videt, haec a manu Johannis non eſſe. Adeo ut conjicere quiſpiam nullo negotio poſſit, multa quidem Johannem ex Falconianis Actis deſumſiſſe; non pauca tamen fuiſſe a quopiam eidem adjecta. Confer Notam (*a*) in fine n. LXV.

(a) Theoph. In Chronograph. p. 324. Edit. Ven. Vide Fleury to. 13. Hiſtor. Eccleſ. edit. Pariſ. 1742. pag. 446.

(b) Breviar. Pariſ. ad 6. Decemb. lect. II. *Et in vicinam ex errore vim, & ictus inferret*. Vide not. in fine n. LIII. Fleury loco cit. *mais il ſe méprit, & on rompit un autre*: hoc eſt: *errore ductus aliam confregit*.

(c) In Act. pag. 141. num. 3. col. 2. & pag. 143. in not. col. 1.

Eccleſia, e qua S. Nicolai Corpus Barienſes abſtulerunt, SS. Theodori, etiam & Nicolai *ſenioris* urnas extitiſſe, Theophanes autem, ut vidimus, referat, vicinam urnam, non illam S. Nicolai, fuiſſe confractam, facile inde deduci poſſe arbitror, eandem fuiſſe Eccleſiam ab Arabum Duce Chumid armis petitam. Confer apud Falcon. loca ad marg. cit. Quae ſi vera ſunt, duo inde, poſito Falconiano *ſyſtemate*, prono alveo fluunt. 1. Fictam, atque a Cl. Falconio excogitatam eſſe Translationem S. Nicolai e Pharrois ad Cathedralem Myrenſem Eccleſiam, ac proinde ea omnia, quae hoc fundamento ſatis labili ſuperſtruxit Falconius ipſe. 2. Quoniam Monaſterium S. Sion prope Myram extabat una cum Eccleſia, ab eaque Corpus S. Nicolai fuit ablatum, coaevis id Scriptoribus teſtantibus, nuſquam vero legimus ab alia Eccleſia illuc fuiſſe translatum, perſpicue inde deducitur falſa eſſe, quae in Actis Falconianis narrantur, S. Nicolaum ſcilicet obiiſſe quidem in Monaſterio Sanctae Sion, ſed in Pharrois ſito, atque exinde, quum ejuſmodi Monaſterium prope Myram extaret, nullius eſſe auctoritatis eadem Acta. Quam difficultatem fortaſſe praevidens Illuſtriſſimus Falconius integro Cap. xi. tacite & clanculum, ut ita dicam, ſubmovere, ſed tamen fruſtra, curavit. Vide igitur, in quae abſona incidat Cl. Vir, cum *Syſtema* ſuum labi conſpicit, ac firmare jam jam ruiturum ſummo ſtudio conatur.

LXXIII. Porro ſingula, quae Falconius in Prolegomenis exagitat, hic perſequi non eſt animus; neque mihi propoſitum eſt omnia, quae de S. Nicolao miracula narrantur, vera eſſe demonſtrare. Res eſt enim ſummi laboris, cui me imparem ſincere profiteor. Sed ne videamur cauſa excidiſſe in omnibus, excurrendo praecipua tangamus. Integro Cap. xi. (*a*) multa congerit Cl. Vir, ut fabulam, quam vocat de defectione Taiphalorum, explodat. Tota vis Falconiani argumenti in eo ſita eſt, quod Taiphalos *in Dacia Mediterranea*, non in *Phrygia* Auctores ſiſtant. Id fuerat jam obſervatum

(a) Pag. 16. Proleg.

Digitized by Google

tum a Tillemontio (*a*), a quo clam deſumſit Falconius. Utrum in Phrygia hi Populi extiterint necne, ingenue fateor mihi non liquere; neque enim ad manus habeo Scriptores, unde aliquid ad rem definiendam eruere poſſim. Quare in medio h. m. hiſtorico facto relicto, de quo, non inſpectis Scriptoribus, qui de eo agunt, nullum mihi judicium proferendum eſt, illud tantum animadvertere mihi liceat, potuiſſe, quemadmodum in Dacia Mediterranea, ita & in Phrygia extare Taiphalos, licet de primis mentionem Scriptores fecerint, non item de Phrygiis. Omnia enim, quae ad veterem Geographiam pertinent, nobis in praeſentia innoteſcere tam falſum puto, quam quod maxime. Ponamus Acta Falconiana tam eſſe genuina, quam ipſe Cl. Vir arbitratur: quam multa ad rem Geographicam, ſeu potius Topographicam, antiquis Scriptoribus ignota Falconius collegerit, ipſemet fatetur (*b*): *Haec*, inquit, *ex antiquis Auctoribus de Lycia eruuntur. Aſt e noſtris, quae damus, Actis multo plura habentur loca, quae ſucculentiorem referant ejus faciem.* Quid ni igitur potuerint Thaiphali in Phrygia exiſtere, licet eorum nullus ex Scriptoribus meminerit? Eo magis quod quum omnibus compertum ſit, antiquos Gallos Pannoniam primum occupaſſe, ibique plurimos annos cum finitimis bella geſſiſſe, irrupiſſe deinde in Macedoniam, ac tandem diu in Aſia vagatos Regionem Galatiam ab illis, & Gallograeciam dictam tenuiſſe: facile evenire potuerit, quod una cum illis quamplurimi quoque Taiphali e Dacia Mediterranea in Aſiam, ſpe melioris parandae Sedis, migrarent, qui in Phrygia Magna, quae Galatiae contermina erat, confidentes, Populum ibi cognominem ſtabilirent. Ad haec praeterquam quod & *Athaiphos*, & *Thaiphalos* vocatos hos populos apud Cardinalem Baronium *ad ann. 326. num.* 87., & Surium *ad 6. Decemb. num.* 17. deprehendimus, quoniam in comperto eſt, Conſtantinum Imperatorem bellum adverſus Barbaros geſ-

(a) Apud Falcon. pag. 62. n. 3. (b) Proleg. pag. 6. n. 3. c. VI.

geſſiſſe, eoſque a Zoſimo vocari *Thaiphalos*, vel *Taiphalos*, nationem Scythicam ab Euſebio, *Scythas* a Socrate, & Sozomeno *Gothos (a)*; Zoſimum vero apud celebrem Muratorium *(b)* referre, quingentos Equites Taiphalos in ditionem Romanam irrupiſſe, Imperatoremque Conſtantinum ab iis victum fuga ſalutem petiiſſe, in quo mendacii Zoſimum arguit, aperteque convincit laudatus Muratorius: facile evenire potuit, Taiphalos, cum incurſionem in Romanum Imperium facerent, ſeditionem in Phrygia majori commoviſſe, idque voluiſſe Metaphraſten referre. Verum ut rem preſſius penſitemus, videor me videre Metaphraſten haud ſtitiſſe Thaiphalos in Phrygia, ſed hos dumtaxat adſerere irrupiſſe in hanc regionem: & miror tot doctiſſimos viros vim Graecorum verborum non advertiſſe: Στάσις ὑπὸ τῶν Θαϊφάλων κατὰ Φρυγίαν ἀνάπτεται τὴν μεγάλην, quae vertas: *Seditio ab Thaiphalis excitatur in Phrygiam magnam*: ea enim poteſtas eſt non ſemel atque iterum voculae κατὰ: ita oppoſitiſſime *Luc.* 10. v. 32. Γενόμενος κατὰ τὸν τόπον, *cum veniſſet ad illum locum. Actor.* 27. *v.* 12. Βλέποντα κατὰ Λίβα, *ſpectantem contra Africum: Act.* 16. 7. κατὰ τὴν Βιθυνίαν πορεύεσθαι, *Bithymiam verſus proficiſci*, & ſexcenta id genus. Quia notum eſt vel Graeculis Tironibus, cum ſermo eſt de populorum, quos meminimus, commoratione, praeponi articulum, uti *Actorum* 15. *v.* 23. οἱ Ἀπόστολοι, καὶ οἱ πρεσβύτεροι, καὶ οἱ ἀδελφοὶ, ΤΟΙΣ κατὰ γὴν Ἀντιοχείαν, καὶ Συρίαν, καὶ Κιλικίαν ἀδελφοὶ ἐξ ἐθνῶν, χαίρειν, *Apoſtoli, & presbyteri, & fratres, qui ſunt Antiochiae, Syriae, & Ciliciae fratribus, qui ex gentibus, ſalutem. Act.* 2. *v.* 10. Καὶ τὰ μέρη τῆς Λιβύης ΤΗΣ κατὰ Κυρήνην, *& partes Libyae circa Cirenen.* Contra vero, ſi ſermo aliter ſe habeat, articulus minime ante κατὰ illinitur, *Act.* 15. *v.* 36. Ἐπισκεψώμεθα τοὺς ἀδελφοὺς ἡμῶν κατὰ πᾶσαν πόλιν, *viſitemus fratres per omnem urbem*.

Ita-

(a) Vid. Pagium ad an. 326. n. XLIX. ad Baron. pag. 237. Edit. Luc., & Muratorium *Annali d'Italia tom.* 2. *edit. Napol. pag.* 288., & utrobique cauſas cur Barbari vario nomine fuerint appellati.

(b) Ibid.

Itaque cum in verbis Metaphraſtis non videas Θαϊφάλων ΤΩΝ κατὰ Φρυγίαν, hoſpitem in Graecis litteris ſe prodet, quiſquis transfuderit, *Thaiphali, qui ſunt in Phrygia*; & quiſque mecum aegre feret Falconium, qui cupit audire ἑλληνικώτατος, iſthaec tam aperta latuiſſe. Neque mihi obſtes, eo quod a Novi Inſtrumenti Libris exempla protulerim pro notione τῶ κατὰ, etenim hi Sanctorum *Biographi* divinos eos Codices uſque lectitabant, & ſecundum horum φράσιν, ac indolem ſcribebant: liset in eo cum profanis Scriptoribus, quorum exempla in Lexicis proſtant, conſentiant. Heic mihi anſam praebet idem Cl. Praeſul, ut de ejus ſubleſta fide in recitandis Scriptoribus longe conquerar: qui quidem *in Prolegom. pag.* 4. *col.* 2. *num.* 4. ait: *Thaiphalos eſſe conterminos Triballis, & Baſternis*, eaque de re *teſtem* vocat *Dionem in lib.* 51. Verum doctiſſimum Praeſulem rogamus, ne credat Lectores adeo vecordes ac bardos, ut ignorent prorſus, Caſſium in extremo titulo hujus libri 51. Ὡς Μυσία ἑάλω *cap.* 23. *uſque ad* 27. *pag.* 656. praeclariſs. edit. Reimari, Thaiphalorum nunquam meminiſſe; eamque gentem in ſat poſterioris aevi Scriptoribus ſolummodo reperiri; ita ut conjiciendum ſit, Cellarium propterea in egregio Veteris Geograph. opere minime illos adſcripſiſſe. Porro quis feret in Falconio tantum σφάλμα, qui deperditorum Dionis librorum promum condum ſe fuiſſe praedicat, ac in tanti Hiſtorici lectione conſenuiſſe? Miror quammaxime ſummum virum, Samuelem Reimarum id minime advertiſſe, qui in docta ſatis, ac longiſſima praefatione admirandae editionis Dionis, atque in adnotationum initio acerrimum Falconianum μάστιγα ſe gerit. Atque haec pro Metaphraſte adducenda operae pretium duxi, ut quidvis potius dicamus, quam ut virum apprime eruditum, quemadmodum eum merito appellat Clar. Mazochius (*a*) ejus inſcitiae inſimulemus, ut qui populi in Phrygia majori habitaverint, penitus ignoraret. Cetera vero

R quae

(a) Mazoch. Comment. ad Kal. Neapol. to. 2. Schediaſm. ad Act. S. Bonifac. ad XIV. April. pag. 299. col. 2.

Digitized by Google

quae Falconius, quod ad rem hanc attinet, toto conatu excogitavit ad fabulam, ut vocat explodendam, non ejus ſunt roboris, ut rem incredibilem reddant. Licet enim facile concederemus, *exceſſum* in narrando Scriptorem commiſiſſe: non inde tamen confici poſſe exiſtimandum eſt, omnia eſſe conficta, ac purum putumque commentum. Idem judicium eſto de altero S. NICOLAI, quod circumfertur, Miraculo, quodque integro *cap.* 13. exagitat Illuſtriſſimus *Metropolita* (a). Ceterum cum de his, tum de aliis, quae heic omittimus, S. NICOLAI Miraculis, quum omnia perſequi non vacet, doctiores judicent, ac potiſſimum Cl. Bollandiani, quorum graviori, ſaniorique judicio omnia ad rationis lancem perpendenda, relinquimus.

LXXIV. Sed antequam e Caſtris abeamus, apparatum bellicum, quod Illuſtriſſimus *Metropolita* exhibet attentius conſpiciamus; ejuſque reſponſiones ad argumenta, quae bellicas machinas appellat, aequo rationis libramento examinemus. Negat Falconius S. NICOLAUM ſub Conſtantino floruiſſe, imo id *recta fronte* tanquam fabulam pernegat. Fateor, monumentis nos carere, quibus id probari liquido poſſit: nil tamen vetat, quin perſuaderi quis ſibi valeat, S. NICOLAUM floruiſſe ſub Conſtantino. Profecto argumenta, quibus oſtendi id poteſt, non ita infirmi ſunt roboris, ut confidenter hanc rem tanquam fabulam neget Illuſtriſſimus *Metropolita*. Quod ipſum dicendum de interventu ejuſdem celeberrimi Thaumaturgi ad Concilium Nicaenum. De his conferenda, quae cap. 11. diſſeruimus, quemadmodum ea quae c. VI. (n. XLV. XLVI. XLVII.) attulimus. Eo vel magis, quod S. NICOLAUM longe ante Juſtiniani tempora vixiſſe ſuperius (cap. V.) quoque ita claris argumentis probaverimus, ut ſi non convincere animo pervicaces, perſuadere tamen poſſint viros non undequaque *Critices ſectatores*, ſeu illos, qui nihil, quod Geometrarum more demonſtratum non ſit, nihil, inquam, admittere tanquam ve-

(a) Pag. 19. in Proleg.

Digitized by Google

verum, aut vero proximum ſolent (*a*). Quod vero Falconius ſcribit (*b*) : *Diximus a ſeptimo ſaeculo publicatum, Nicolaum fuiſſe Myrenſem Archiepiſcopum tempore Conſtantini. Sed probavimus, id a duobus tenebrionibus primo prodiiſſe, qui Cives Myrenſes philauti erant, & philomyti* (fabularum amatores): tanto facilius nego, imo pernego, quam quod nuſquam id ſit probatum a Cl. Falconio, neque unquam probatum iri confido; niſi idem ſit Illuſtriſſimo *Metropolitae* probare, ac meras putaſque proprii ingenii cogitationes Lectoribus parum cautis propinare.

LXXV. Porro quoniam Falconius in ſuis Prolegomenis, ac Notis ad Acta has undique voces crepat: *Fabulatores Myrenſes: tenebriones: fabula ridenda: Metaphraſtis ſomnia: putidiſſima commenta effrontis tenebrionis: ſtolidum, bardum impurum caput: lucrum, philautia;* illoſque loquendi modos: *ex fabuloſo & lubrico fundamento morboſa truncari, reſecari-*

(a) Atque hnc facit nuſquam probatum evidenter ab Illuſtriſſimo Falconio S. NICOLAUM Myrorum Epiſcopum Nicaeno I. non adfuiſſe. Si enim id invictis praeſtitiſſet argumentis, tum omnia, quae S. Methodius, Leo Imperator, aut potius S. Andreas Cretenſis, Metaphraſtes, Traditio denique de hoc narrant, utique corruerent. Cum autem id non confecerit, neſcio quomodo id tam confidenter negari queat; praeſertim, quod IV., & V. Saeculi Scriptores, S. Athanaſius, S. Epiphanius, S. Ilarius, S. Hieronymus, Theodoretus, Socrates unanimi ſenſu teſtantur praedicti Concilii PP. 318. fuiſſe; In Collectione vero Labbaeana ſoli 222. numerentur; ita ut deſint PP. 96., quorum nomina una cum integris Actis periere. Eo magis, quod ex Lycia, cujus Metropolis Myra, ſolus Eudemus Patarenſis deſcriptus reperiatur; vero autem ſimile non ſit neminem alium ex ea Regione adfuiſſe. Quae omnia licet non probent revera S. NICOLAUM fuiſſe unum ex illis 318. Patribus; demonſtrant tamen ἀδυνάτον (*impoſſibile*) id non eſſe, quemadmodum ex confidentia, & libertate, qua negatur, erui apertiſſime videtur. Confer. n. XXI., ubi de vi argumenti negativi, cet., & n. XLV.. Eo, vel magis, quod Nicephorus *Hiſt. Eccleſ. Tom. 1. lib. 8. c. 14. pag. 560. Lit. C. Edit. Lutet. Pariſiorum* 1630. loquens de prima univerſali Sancta Nicaena Synodo, de S. NICOLAO mentionem quoque faciat: *In Synodo*, inquit, *ea multi Apoſtolicis donis pollebant .... Meletius Sebaſtiae, Baſileus Amaſeae, Nicolaus, Myrorum, Gregorius Majoris Armeniae, cet.*

(b) Pag. 26. n. 10. in Proleg.

Digitized by Google

que (*a*); ut mittam fabulam illam de Eremita, & Diabolo cachinnis, ne dicam riſu excipiendam, quam neſcio cui bono *Cap.* XIV. Illuſtriſſimus Falconius narrare perquam incommode voluerit; velle autem ſingula perſequi, in ſingulas haſce crebraſque repetitiones incidere eſſet: ut aliquem tandem finem haec brevis excurſio feliciter ſortiatur, haec pro Coronide animadvertenda arbitramur, 1. Cl. Falconium bonae fidei oblitum [*b*], cum de Morerio agit; non ſolum enim integrum Morerii articulum non retuliſſe, contentum adnotare in Capitis inſcriptione, eum vulgatam S. NICOLAI Vitam referre; verum etiam tribuere deinde Morerio, quod forte Morerii non eſt. Judicium enim, quod ejusdem laudati Auctoris eſſe affirmat [*c*], ejus non eſſe ex eo luculenter deducitur, quod in ſupplemento ejusdem Dictionario annexo, deſcriptum reperiatur, quod certe ſupplementum aliis Auctoribus tribuendum eſſe ex praefatione ſatis aperte colligitur [*d*]. 2. Licet plura quam S. Methodius, & Leo Imperator,

(a) Vid. pag. 27. num. 13. princ. in Proleg.

(b) Pag. *67*. cap. 3.

(c) Pag. *68*.

(d) Clare id eruitur, ſi legas tom. IV. Morerii pag. 26. col. 2. edit. Amſtel. 1717. Gall. Idiom., quo in loco leguntur vulgata de S. Nicolao, his verbis: „ S. NICOLAUS Myrenſis Epi„ ſcopus in Lycia IV. Saeculi initio vi„ vebat. Ejus nomen ſic eſt in Eccle„ ſia celebre, quemadmodum admira„ bilis, juxta aliquorum Auctorum ſen„ tentiam fuit ejus ad Epiſcopatum vo„ catio. Cum enim Epiſcopi de homine „ deligendo, qui Cathedrae Myrenſis „ locum occuparet, ſolliciti eſſent, di„ vinitus admoniti fuerunt, ut eum „ ordinarent, quem poſtridie primum „ ad Eccleſiae fores inveniſſent. Spiri„ tus autem Dei Nicolaum illuc duxit; „ eumque licet renitentem univerſo „ populi plauſu ordinarunt. Morum „ ſuavitate, charitateque, ſpem, quam „ de eo conceperant, ſuperavit. Licinia„ na perſecutione comprehenſus, in exi„ lium ejectus fuit. Ejus autem, mor„ tuo Licinio, reditus glorioſiſſimus „ fuit. Suam Dioeceſim viſitavit, quot„ que invenit Templa, atque Idola, di„ ruit. Communis fert ſententia, eum „ Nicaeno generali Concilio anno 325. „ adfuiſſe, atque in Arium fortiter pu„ gnaſſe. Ejus fit mentio in S. Johannnis „ Chryſoſtomi Liturgia. In illius ho„ norem Juſtinianus Imperator Eccle„ ſiam aedificavit, quam Baſilius ma„ gnifice inſtauravit. Ex ejus Sepulchro „ liquor, qui omnes ſanabat morbos, „ manavit: id quod ex Emmanuelis „ Imperatoris Novella diſcimus, quam „ Balſamon refert. Ejus Corpus XI. „ ſaeculo translatum Barium in Italia „ ibi miracula patrare perrexit. Me„ taphraſtes, & Surius die 6. Decem„ bris. Baronius in Annal, & Mar„ tyrol. Godeau. Hiſt. Eccleſ., cet. Tomo vero 2. ſupplem. pagin. 271. Edit.

Digitized by Google

rator, vel potius S. Andreas Cretenſis referunt, narret Metaphraſtes; non inde confectum eſſe putandum, commentitia eſſe, quae hic poſtremus referre curavit. Praeterquam quod enim doctiſſimus Metaphraſtes, quae de S. Nicolao narrat *ex aliorum ſcriptis, quorum immenſam copiam habebat, credi poteſt hauſiſſe, quae ſcripta dein abolita ſunt, praeſertim cum Barbari Cpolim, ac reliquam Graeciam expilarunt*, ut verbis heic utar, quae Bollandiani ſcribunt (*a*): appoſite ad hanc rem animadvertit Caſtellinus apud Cardinalem Lambertinum, hodie Benedictum XIV. Summum Pontificem (*b*): *Regulariter & ordinarie eſſe uſitatum apud Scriptores etiam Eccleſiaſticos, ut unus vel alter non exprimat omnia, & ſingula geſta alicujus Viri Dei; ſed, quod unus omittit, alter vero refert: quod obſervarunt etiam Evangeliſtae ſcribentes geſta Salvatoris noſtri: nam, quod unus omiſit, alius explicavit.* Quod certe eo magis heic locum habet, quod S. Methodius, & Leo Imperator, ſeu S. Andreas Cretenſis, potius *Encomium*, quam Vitae hiſtoriam ſcripſerint. Metaphraſtes vero

Edit. Amſtel. 1716. Judicium eidem a Falconio tributum legitur, nimirum: „ *S. Nicolaus* Myrenſis Epiſcopus. Nihil certi de Hiſtoria S. Nicolai, ac ne de ejus ὑπάρξει (Exiſtentia) quidem habetur. Ejus vita, quae Methodio, ac Panegyris, quae Andreae Cretenſi tribuitur, ſuppoſititiae ſunt. „ Translatio ejus Corporis Barium, Hiſtoria eſt pariter nulla auctoritate, „ ac fundamento innixa. Quod Metaphraſtes de eodem ſcripſit, purum „ commentum eſt. Nullus habetur Auctor, nullum monumentum, ex quo „ probetur eum Nicaeno Concilio interfuiſſe. Ejus tamen cultus in Orientali Eccleſia conſtitutus Saeculo VI. „ reperitur. In Occidente non niſi ſub „ initio Regni Caroli Calvi cognitus. „ Primum Martyrologium, in quo ejus „ fit mentio, eſt illud Vandalberti Monachi Prumienſis. Poſtmodum nihilominus ejus cultus ſatis celebris „ evaſit. Metaphraſtes, & Surius ad „ diem 6. Decembris. Baronius in „ Annalibus, & Martyr. Godeau Hiſtor. Eccl. Tillemontius mem. Eccleſ. tom. 6. Bailletus Vit. Sanct.

In edit. vero XIX.; & ult. Pariſien., quae prodiit Venetiis an. 1747. Tom. 6. Litt. M-O. in artic. S. Nicolai Myrenſis pag. 426. etiam legitur Gallico Idiomate prope finem: *Mais on a des preuves, que dans le cinquieme ſiecle on etoit convaincu, que S. Nicolas vivoit du tems de Conſtantin le Grand. Si cela eſt, il eſt aisè d'en conclure, qu'il a aſſiſtè au Concile de Nicèe.* Vid. dict. edit. XIX. Pariſien. Typis Franciſci Pitteri Venetiis excuſam dict. an. 1747.

(a) Praefat. to. 1. Feb. c. 2. pag. XV.

(b) De Canoniz. Sanctor. lib. 3. cap. 9. num. 5.

vero praecipua de S. Nicolao ex aliorum ſcriptis, & traditione collecta, in hiſtoriae Vitae modum concinnaverit, ut ſuperius etiam animadverſum eſt (n. ix.); ea autem quae eundem Metaphraſten addidiſſe Falconius contendit, non obſcure ex SS. Methodio, atque Andrea Cretenſi erui poſſint, ut ea conferenti luculenter patebit (*a*).

LXXVI. Neque ſi in Metaphraſte aliquod corrigendum, aut alienum a vero occurrit, illico omnia quae de S. Nicolao Myrenſi *Metropolita* narrat tanquam putida commenta, ut facit Falconius, reijcienda ſunt (*b*). Etenim, ut praeclare Cardinalis Baronius ait, (*c*) *ſi ob unum errorem vel alterum in Vitis SS. inventum, cetera quae remanent fide carere dixerimus: profecto omnes fere SS. Vitas in maximum diſcrimen adducimus; cum pene in omnibus aliquid notari poſſit quod corrigendum videatur: ſitque Canonicarum tantummodo Scripturarum ſingularis praerogativa, ut in eis cuncta vero*

(a) Ad rem mirifice facit, quod ſcribit laudatus Cardinalis ibidem cap. 10. num. 5.: *Propius vero ad rem, de qua nunc agimus, ſaeculo decimo ſexto non defuerunt nonnulli audaces homines, qui tamquam apocrypham traduxerunt viſionem celeberrimam Sancti Franciſci una cum Indulgentia, quae dicitur* Portiunculae... *Sub obtentu potiſſimum, quod altum praedictarum rerum ſilentium eſt in operibus S. Bonaventurae, & aliorum contemporaneorum authorum. Sed, cum Baluzius... Ex antiquis Bibliothecis monumentum authoris contemporanei praedicta omnia narrantis ediderit, ex hoc facto clare deſumitur, non ita facile dicendum eſſe, nullum ex coaevis authoribus hanc illamve rem referre, & ideo eam recentiorum authorum eſſe commentum, & apte argumentatur Dominus Langlet, cet.* Quod certe non ſolum facit pro Metaphraſte, ſed etiam pro ipſo S. Methodio.

(b) Eleganter, atque ad rem Cl. Pater Joſeph Auguſtinus Orſi. Hiſt. Eccles. Tom. 3. Lib. 8. ad Ann. 266. cet. nu. xx. pag. 548., & ſeqq. Edit. Neapol. loquens de Martyrum Actis: „ Benchè, *inquit*, negli Atti „ del loro Martirio s' incontrino „ molte difficoltà, e delle circoſtanze o inveriſimili, o affatto favoloſe: per tali però non poſſo indurmi a tenere le Circoſtanze del „ tempo. Quei, che hanno compoſto, o abbellito, o ampliato queſta ſorte d' Iſtorie di Martiri celebri nella Chieſa, non è da credere, che abbiano per lo più lavorato affatto ſul falſo, che il tutto abbiano immaginato a capriccio, nè abbiano avuto per fondamento qualche antica memoria „ contenente il genere, ed il tempo del loro Martirio, cet. num. xxv., & ſeqq.

(c) Baron. Not. ad Martyrol. Rom. ad 9. Octobris pag. m. 448. col. 2. init. edit. Antverp. 1589.

Digitized by Google

vera, *inconcuſſa*, *certaque narrentur*. Quem prudentiſſimum Baronii Canonem ita ſuo probavit calculo Cl. P. Mabillonius (*a*), ut in Praefatione ad Acta Sanctorum, S. Benedicti praefigere non omiſerit, ne lectores ab eo omnia expectarent omni ex parte ad lydium lapidem probata. Quae ſi a vero non abhorrent, uti non abhorrere cordati doctique Viri facile concedent; nemo certe mirabitur, Metaphraſten ſcripſiſſe (*b*), S. Nicolaum, antequam Archiepiſcopus conſacratus eſſet, Hieroſolymam profectum, *noctu veniſſe ad ſignum divinum Crucis*, *& tunc quidem ei ſua ſponte Sacroſancti loci portae ſunt reſeratae*, *cet.* Cum enim Sanctiſſimum Crucis lignum nonniſi anno 326. a S. Helena inventum eſſe ex probatioribus auctoribus conſtet: falſum in hoc eſſe Metaphraſten notarunt (*c*) Tillemontius, & Bailletus, ex eiſque Cl. Falconius, qui deinde ulterius progreſſus omnem Metaphraſti idcirco negandam fidem arbitratus eſt. Sed in hoc erraverit Metaphraſtes; numquid cetera, quae narrat, priuſquam falſitatis arguatur, purum putumque commentum eſſe dicendum eſt? Quid ſi Vita S. Nicolai, quam ipſe adornavit, ad nos *interpolata* pervenit? Quanquam videamus, an tantus ſit hic error, adeo ut vehementer ob id vapulare omnium ſermone Metaphraſtes ſit neceſſe. Primo autem ſpes mihi ſuboriebatur confici poſſe, ut Metaphraſtes ab eo errore immunis judicaretur, quod in libro Pontificali, auctiorique Chronico Summorum Pontificum, atque in Epiſtola ad Epiſcopos Tuſciae & Campaniae S. Euſebii Pontificis, qui floruit anno 310. ſeditque menſes quatuor, dies ſexdecim, aperte legatur ejuſdem Pontificis tempore Dominicam Crucem fuiſſe inventam, longo ſatis ante Concilium Nicaenum intervallo. Sed quoniam apud Pagium (*d*) legi, falſo haec ſcribi, eamque Epiſtolam confictam eſſe ac ſuppoſititiam: meliora me

(a) Mabil. Sec. 1. to. 1. pag. VIII. num. xv. Vide Cardinal Lambert. de Canoniz. SS. lib. 3. c. 9. n. 4.

(b) Apud Falcon. in Act. pag. 93. num. 11.

(c) Apud Falcon. in Prol. pag. 62. col. 2. num. 2. & pag. 64. col. 2. num. 2.

(d) Pagi. in Breviar. Pontif. t. 1. in S. Euſebio pag. m. 49.

Digitized by Google

inveniſſe putavi, quod Euſebius (*a*) ad Annum XV. Imperii Conſtantini, nempe Anno Domini 320. haec ſcribat: *Helena Conſtantini Mater, divinis admonita viſionibus, beatiſſimum Crucis lignum, in quo mundi ſalus pependit, apud Hieroſolymam reperit*, Illud etiam ad rem multum facere videbatur: quod Zonaras (*b*) referat, *Helenam poſt baptizatum Conſtantinum, adſcito ſibi comite S. Silveſtro, Hieroſolymam profectam eſſe*. Sed praeter quam quod haec non ita commode S. Nicolai Vitae aptari poſſunt, illud etiam obſtabat, quod Euſebii Chronicon a librariis admodum depravatum fuiſſe demonſtret idem laudatus Cardinalis, hancque S. Crucis inventionem ad Annum 326. referendam eſſe; quod vero Zonaras narrat *commentum jure dicendum eſſe, quod nulla vel majorum traditione probatur, vel antiquorum Scriptorum auctoritate fulcitur*. In ſumma, quum accuratiores, atque in Eccleſiaſtica hiſtoria apprime verſati Viri (*c*) hanc S. Crucis inventionem temporibus Concilii Nicaeni, imo poſt Concilium ipſum, conſignent: ſuperſedendum ab ejuſmodi inquiſitione mihi tutius arbitratus ſum. Viderat hanc difficultatem P. Beatillus (*d*), atque ingenue fatetur, hanc profectionem ad S. loca Hieroſolymitana, eo modo quo narratur, conſiſtere non poſſe. Putat igitur, forte *Biographum* primum ſcripſiſſe, divinitus non portas Templi fuiſſe apertas, quod tum nullum extaret, ſed ipſam terrae congeriem, in qua lignum S. Crucis abſconditum continebatur, fuiſſe recluſam. Quam conjecturam, ſi fas eſt aliqua ratione firmare, animadverti poſſet Metaphraſten ſcripſiſſe: *αἱ τοῦ ἱεροῦ διανοίγονται πύλαι*, quae verba ſecundum Falconium latine ſonant: *Sacroſancti loci portae ſunt reſeratae*, *πύλη* autem Graece, Latine eſt *porta*, proprie *aditus per moenia in urbem* ferens (*e*), metaphòrice tamen etiam aliis rebus eadem vox tribuitur. Unde anguſtiae Oëtae Montis in Theſſa-

(a) Apud. Baron. ad an. 326. n. XLII.
(b) Apud Baron. ibid.
(c) Baron. l.c. Pagius Brev. Pontif. loc. cit. P. Scivetti ſaec. IV. dec. III. num. XIX.
(d) Beatil. Hiſt. S. Nic. lib. 2. c. XIV.
(e) Vid. Lexica.

ſalia, *Thermopylae* vocatae, quia tranſitum viatoribus praebent, & prope ſunt thermae, ſeu aquae calidae. Adeo ut per eam vocem non Templi portas, ſed aditum quemcumque in eam terrae congeriem, in qua ſepultum S. Crucis lignum jacebat, Metaphraſtes ſignificare voluerit. Cui conjecturae favet conſimilis locus in Actis Falconianis ubi Anonymus ſcribit (*a*): θελήματι τοῦ Θεοῦ ἀνεῴχθησαν αἱ θύραι τοῦ Ναοῦ: *voluntate Dei apertae ſunt portae Templi*. Heic enim non πύλαι; ſed θύραι, neque ἱερὸν, ſed ναὸς occurrit, ut quod in Actis Falconianis de Templo eſt ſcriptum, de loco fortaſſe ſcribat Metaphraſtes, qui cum eſſet apprime eruditus (num. LXXIII.) rem tempori congruentem forſan deſcribere voluit. Ex hoc loco etiam cuique luculenter apparet, Metaphraſten haec non eſſe ab Actis Falconianis temere mutuatum; licet enim eandem rem deſcribat; iiſdem tamen verbis non eſt uſus, ſed aliis, iiſque rei, quam refert, magis congruentibus, ut conferenti ſatis aperte patebit. Huc etiam facit, quod ante Conſtantini tempora loca Sancta Hieroſolymis ſumma veneratione colerentur, atque eo multi viſendi gratia, adorandique proficiſcerentur. Hujus teſtis eſt locupletiſſimus S. Hieronymus, qui de Scriptoribus Eccleſiaſticis in Alexandr. (*b*) haec habet: *Alexander Epiſcopus Cappadociae, cum deſiderio Sanctorum locorum teneretur, Hieroſolymam pergeret, & Narciſſus ejuſdem Urbis jam ſenex regeret Eccleſiam, & Narciſſo, & multis Clericis ejus revelatum eſt, altera die mane intrare Epiſcopum, qui adjutor Sacerdotalis Cathedrae eſſe deberet. Itaque re ita completa, ut praedicta fuerat, cunctis in Palaeſtina Epiſcopis in unum congregatis, adnitente quoque ipſo vel maxime Narciſſo, Hieroſolymitanae Eccleſiae cum eo gubernaculum ſuſcepit*. Haec autem eveniſſe paulo poſt initium Saeculi III. in comperto eſt (*c*). Haec pro P. Beatilli conjectura firmanda adduci poſſent. Ceterum, ſe ea quicquid ſit, hic locus aut inter-

S

(a) pag. 13. n. 15. in actis.
(b) Tom. I. pag. 298. edit. Pariſ. 1643.
(c) Vide P. M. Scivetti ſaec. III. decad. II. n. VI. & decad. V. n. X.

polatus dici poſſet, aut per κατὰ πρόληψιν (per anticipationem) deſcripta. Illud tamen monitos velim benevolos Lectores, ne mirentur, ſi haec omnia pro Metaphraſtis defenſione ſint adducta. Non enim id inſolens eſt, & plerumque Viri in Critice verſatiſſimi cum locum in cujuslibet Scriptoris Actis, ab ipſis tamen probatis, offendunt, qui prima facie magnam, ne dicam totam ejuſdem Scriptoris fidei, Auctoritatis partem detrahere videtur, tot tantiſque animadverſionibus rem conficiunt, ut ex eodem loco ipſi Scriptori magnam feliciter fidem concilient. Ideo ut ſi heic Metaphraſtes vapulat, non tam ipſius, quam defenſoris defectu vapulare jure meritoque dicere poſſes.

LXXVII. Huic affine eſt alterum quod Falconius objicit, quodque ex Tillemontio, item & Bailleto hauſit (*a*), nimirum nullo pacto fieri poſſe, ut S. Nicolaus ſub Diocletiano Imperatore multa pro Chriſti Fide ſit paſſus. Sed heic tamen multis non indigemus, ut vero id ſimile eſſe demonſtretur. Scribit enim Metaphraſtes (*b*). *Sed Sol poſt nubes ſtatim apparuit; & quaedam levis aura, & ſuavis poſt procellam; Benignuſque & Clemens noſter Dominus Jeſus Chriſtus intuens ad ſuam hereditatem, & omnia impietatis ſceptra deſtruxit: Diocletianum, inquam, & Maximinianum, & quoſcumque poſt eos Ethnicos: erexit vero cornu ſalutis populo ſuo, cet.* & infra: *Is* (Conſtantinus) *vero cum eſſet ſapiens, & qui eum vocarat non ignoraret, in eo confidit, dejectis omnibus adverſariis, defendit acerrime pietatem; & Imperatoribus illis, qui prius fuerant, cecinit palinodiam, cet.* Heic primum poteſt quiſque probe animadvertere, nunquam ſcripſiſſe Metaphraſten, S. Nicolaum ſub Diocletiano pro fide multa paſſum eſſe. Dixerat quidem ante, ortam quoque Myris perſecutionem (*c*), ſed per *edicta Imperatoria*; nullum tamen Imperatorem nomine indicat; in verbis vero ſuperius relatis nominat quidem Imperatores Diocletianum, & Maximinianum;

(a) In Proleg. pag. 62. col. 1. n. 1. & num. 17. pag. 64. col. 2. num. 2.
(b) Apud Falcon. in act. pag. 96.
(c) Pag. 95. n. 16.

Digitized by Google

num; ſed addit: *& quoſcumque poſt eos Ethnicos*. Non igitur ſub Diocletiano haec accidiſſe ſcribit Metaphraſtes, cujus integrum locum ſi quis attente perpenderit, manifeſte comperiet, ſatis confidenter ſcriptum eſſe a Tillemontio, Metaphraſten ſcripſiſſe, S. Nicolaum in carcerem conjectum initio Diocletianeae perſecutionis (n.iv.); id enim nuſquam legi apud Metaphraſten. Deinde ponamus, eundem referre, S. Nicolaum in Diocletionea perſecutione paſſum tormenta, verbera, cet. quid inde erit incomodi? Etenim *Diocletiano in veteribus monumentis paſsiones complurium Martyrum tribuuntur, quas tamen ſcimus poſt Diocletiani abdicationem contigiſſe*, ſcribit Vir Summus Alexius Mazochius (*a*). Quamobrem perſpecte Cardinalis Baronius, quae Metaphraſtes de S. Nicolao refert, ad Licinianae perſecutionis tempora pertinere arbitratus eſt. (*b*) Neque inſolens eſt, ut Diocletianeae perſecutionis nomine, & aliae quae ad Licinium uſque acciderunt, intelligantur, quemadmodum certe fecit pereruditus Petrus Danes (*c*), qui de h. m. perſecutionibus loquens, ſcribit: XII. (perſecutionem nimirum) *Violento edicto indixerant Diocletianus & Maximianus Imperatores collegae anno* 303. *Haec ſub Diocletiani nomine continuata fuit per Imperatorem Galerium uſque ad annum* 311. *deinde per Maximinum in Oriente uſque ad annum* 313. *denique per Licinium ab anno* 319. *uſque ad* 324. *quo a Conſtavtino Magno devictus fuit*. Vide initia, atque incrementa hujus perſecutionis apud Eruditum P. M.

S 2 Sci-

(a) Mazoch. comment. Kal. Nap. tom. 2. ad xvi. Maji pag. 311. col. 2.

(b) Facit ad hanc rem illuſtrandam, quod Licinianam hanc perſecutionem praecipue contra Epiſcopos exarſiſſe Euſebius referat „ ſive quod „ major eſſet adverſus Epiſcopos, quam „ contra alios Chriſtianos perſecutorum furor, cum ſcirent Provinciarum Rectores id Licinio gratius „ fore: ſeu quod gravius videretur „ Euſebio, Licinium in ipſos etiam „ Epiſcopos, quos tantopere Conſtantinus venerabatur, graſſari non „ dubitaſſe: ſive tandem quod Licinius a Conſtantino devictus generalem adverſus omnes Chriſtianos „ perſecutionem, quam meditabatur, „ perficere non potuiſſet; ut ſcribit Cl. P. D. Ruinartius in Admonit. in Hom. de SS. XL. Ma rtyr. n. 4. pag. 422. omnino videndus.

(c) Danes inſtit. Doct. Chriſtianae tom. 1. p. 1. ſect. 1. c. 26. pag. 181. Ven. edit. 1749.

Digitized by Google

Scivetti, ut inde clare deducas, jure Licinianam perſecutionem fuiſſe Diocletianeam vocatam (*a*).

LXXVIII. Neque felicius a Cl. Falconio objicitur, Metaphraſten ſcripſiſse, Conſtantinum juſſiſſe *dirui Templa ſimulacrorum*. In quo neſcias utrum confidentiam Cl.Viri notes, an oſcitantiam in ea re expendenda, dum ſugillat Metaphraſten aſſeverate adnotando: *juſſit numquam haec Conſtantinus* (*b*). Sane quicquid ſit de tempore, (in quo potuit κατὰ πρόληψιν (per anticipationem) aliqua narrare Metaphraſtes), nihil eſt tam certum in Eccleſiaſtica hiſtoria, quam Conſtantinum *Templa*, & *Idola Gentilium celeberrima una cum ſuperſtitionis gentilitiae ornamentis* (*c*) everti juſſiſſe. Id ipſum videri poteſt apud Eminentiſs. Cardinalem Lambertinum, hodie Summum Pontificem Benedictum XIV. in nunquam ſatis laudato, abſolutiſſimo Opere de Canonizatione SS. (*d*), ubi ex Euſebio refert everſionem *Fani apud Aphacam in Phoenice*, *Templi Aeſculapii Aegis*, & *Fani Veneris dejectionem in Urbe Phoenices Heliopoli*, quod idem apud Fleury (*e*) legi poteſt, ex quo praeter ſupra dicta diſcimus etiam in Cilicia juſſu Conſtantini celeberrimum Apollinis Pythii templum funditus everſum. Ad haec cum Euſebius (*f*) haec ſcribat: *deinceps duae leges in eamdem ſententiam promulgabantur; altera, quae vetuit deteſtabilia Idololatriae ſcelera, quae jam olim in quaque Civitate, & Regione fieri conſueviſſent; & ne quiſquam vel ſtatuas erigere, vel curioſas & ſupervacaneas divinationes moliri, vel denique ſacrificare auderet: altera, qua juſſit Templa aedificari, denique Eccleſias tum longitudine, tum latitudine ampliores effici, ut in poſterum omnes homines* (*ut complectar brevi*) *inſano illo & ſuperſtitioſo multorum Deorum colendorum ritu e medio ſublato, Deo O. M. reconciaлerentur*, *cet.* facile conjici poteſt, licet quae de Templis ever-

(a) Scivett. Hiſtor. Eccleſ. Sec. IV. decad. I. dec. II. & dec. III.
(b) In act. pag. 96. not.(1)
(c) Ex Pagio ad ann. 333. n. IV.
(d) Lib. 3. cap. 17. n. 11.
(e) Fleur. Hiſt. Eccl. to. 3. an. 326
(f) Euſeb. Vit. Conſtant. lib. 2. c 43. 44. 45. apud Cardin. Baron. ad an 324. n. XCIV.

evertendis diximus, quod ad tempus attinet, non bene cohaereant apud Metaphraſten, ut ex iis etiam, quae ex Pagio retulimus luculenter patet: forte tamen animadvertentem S. Nicolaum non poſſe alio modo Deorum tolli cultum, quam Templa evertendo, in id opus totum incubuiſse. Cui conjecturae multum certe favent Metaphraſtis verba (*a*): *Ac proinde*, inquit, *cum cerneret multas adhuc ſimulacrorum Aras ſupereſſe, in iiſque magnam catervam Daemonum habitare, & non paucos perdere e Myrenſibus; divino zelo, animo incenſus fortiſſime inſurgit: omnemque illorum obiens regionem, ſi in quam Aram incidit aliquando, eam dejecit, & in pulverem redegit. Et ſic procul expellens daemonum multitudinem, ut gens pace tranquilla frueretur, effecit. Cum ſic autem Sanctus, adverſus improbitatis ſpiritus bellum gereret, fit quaedam ei e ſuperis inſpiratio, & divinior cogitatio, ut ne a Dianae quidem Templo abſtineret, ſed ipſum quoque aggrederetur; idemque ei faceret, quod prioribus. Illud autem erat & pulchritudine admirabile, & alia magnitudine ſuperabat, & jucundiſſimum erat Daemonibus habitaculum*, *cet.* Ceterum, ut dicam ingenue, quod ſentio, licet Metaphraſtes primo loco haec, quae retulimus, narret, deinde S. Nicolaum Concilio Nicaeno interfuiſſe: nihilo tamen minus ex ejuſdemmet verbis maniſeſte apparet, eum *πρόληψιν* (anticipationem) adhibuiſſe, poſt Templi enim Dianae ſubverſionem, pergit: *Sed aliarum ejus rerum vult rurſus oratio meminiſſe, nec ea mandat oblivioni, quae digna ſunt, ut dicantur, & memoriae commendentur*, *cet.* & deinde S. Nicolaum Concilio Nicaeno interfuiſſe narrat. Quae certe verba ſatis luculenter innuunt, Metaphraſten temporis ordinem heic non ſervare, ſed continuata oratione S. Thaumaturgi res geſtas, praecipue memoratu dignas, eo commodiori quo ipſi videtur loco lectoribus legendas exhibere. (*b*)

LXXIX. Sed

(a) Apud Falc. in act. pag. 97. n. 18.

(b) Non diſſimile videtur, quod idem Falconius ad ea Metaphraſtis verba pag. 101. num. 24. in fin. in actis: *Sed ſi de veſtris vultis diſponere facultatibus, jam eſt tempus: ne veſtram ſententiam mors praeveniat; adnotare non omittit, cum ignorabat Author*, inquit, *bona ob ejuſmodi crimina damnatorum ad Fiſcum pertinere; etiam diu ante* tem-

LXXIX. Sed & illud, nam memoria exciderat, non omittendum, mirari Cl. Falconium, miraculum de Baſilio ab Agarenis facto captivo, quod a S. Methodio (*a*) narratur, ipſe vero Falconius tenebrionem quendam Methodio poſteriorem ejus narrationis auctorem facit, miraculum, inquam, illud S. Georgio Martyri ab aliis tributum (*b*). Fateor ego quoque id eſſe mirandum, ſed inſolens tamen non eſt. Similia enim, tamquam ovum ovo eſſe a Sanctis patrata miracula tam eſt credibile, quam quod nemo Divinae Omnipotentiae, cujus virtute patrantur, poteſt modum praeſcribere. Sed & id exemplis illuſtrare non eſt admodum difficile, quod tamen quaſi delibando perſequemur. Primum autem quod occurrit miraculum eſt illud ab Elia patratum in Sarepta Sidoniorum (*c*) dum viduae filium ad vitam revocavit: *Et expandit ſe, atque menſus ſuper puerum tribus vicibus, & clamavit ad Dominum, & ait: Domine Deus meus, revertatur obſecro anima pueri hujus in viſcera ejus. Et exaudivit Dominus, cet.* Huic ſimile patravit Eliſeus: *Et aſcendit & incubuit ſuper puerum; poſuitque os ſuum ſuper os ejus, & oculos ſuos ſuper oculos ejus, & manus ſuas ſuper manus ejus: & incurvavit*

tempora Conſtantini; non enim ibi Tabellio, coram quo legitime quiſque de re ſua teſtari poteſt, cum capite damnatis loquitur, ſed cuſtos carceris, qui eorum miſertus calamitatis, non ad teſtamentum condendum eos adhortatur, ſed tantummodo monet, ut ſi quid ſuis relinquere vellent, privatim id facerent, fideique ſuae veluti committerent. Profecto ita haec verba eſſe enucleanda ſuadent illa, quae alibi pag. 32. n. 3. in Act. legimus, atque ad idem ſpectant: *Si quid igitur*, ait cuſtos carceris, *vobis in bonis eſt, vel aurum, vel argentum, vel quid aliud, de quo ſit animus diſponendi, & relinquendi, diſponite: hac enim nocte juſſi eſtis, ut moriamini.* Quemadmodum enim veteres Romani fidei alicujus committendo quidpiam iis relinquebant, qui per leges erant incapaces, ut fecit P. Trebonius, de quo Cicero lib. 1. in Verr. XLVII. *Is A. Trebonium*, inquit, *fratrem habuerat proſcriptum, ei, cum cautum vellet, ſcripſit, ut heredes juvarent, ſe curaturos, ut ex ſua cujuſque parte ne minus dimidium ad A. Trebonium fratrem illum proſcriptum perveniret;* ex qua fraude orta *Fideicommiſſa:* ita contra potuit iſte carceris cuſtos miſericordia commotus id miſerrimis illis viris ſuadere, ut clam aurum, vel argentum, ſi quod haberent, cui vellent, ipſi tradendo, relinquerent.

(a) Pag. 58. n. 4. in act.

(b) Pag. 61. not. 1. vid. ib. in admonit.

(c) III. Reg. XVII. a v. 21.

Digitized by Google

vavit ſe ſuper eum , & calefacta eſt caro pueri ; at ille reverſus , deambulavit in domo , ſemel huc atque illuc : & aſcendit , & incubuit ſuper eum : & oſcitavit puer ſepties , aperuitque oculos , cet. (*a*) niſi quod Eliſeus bis ; Elias vero *menſus eſt ſuper puerum tribus vicibus.* Similiter de Ezechiele legimus (*b*): *Et emiſſa ſimilitudo manus apprehendit me in cincinno capitis mei : & elevavit me ſpiritus inter terram , & Coelum : & adduxit me in Jeruſalem in viſione Dei , juxta oſtium interius, cet.* De Habacuc vero, quemadmodum etiam id Falconius refert*:* (*c*) *Et apprehendit eum* (Habacuc) *Angelus Domini in vertice ejus, & portavit eum capillo capitis ſui, poſuitque eum in Babylone ſupra lacum in impetu ſpiritus ſui, cet.* quanquam Ezechieli in *viſione*, ſeu apparentia, & raptu mentali ; Habacuc vero *corporali , ſive reali vectatione* id contigerit . Atque haec ex Sacra Scriptura Veteris Teſtamenti . Ex novo autem eſt illud, quod legimus in actibus Apoſtolorum (*d*) nimirum : *Cum autem producturus eum eſſet Herodes, in ipſa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites vinctus catenis duabus: & Cuſtodes ante Oſtium cuſtodiebant carcerem: & ecce Angelus Domini aſtitit: & lumen refulſit in habitaculo: percuſſoque latere Petri, excitavit eum, dicens: Surge velociter, & ceciderunt catenae de manibus ejus, cet.* Cui reſpondet, quod cecinit S. Paulinus Epiſcopus Nolanus de S. Felice (*e*)

- - - - Venit ergo micans jam nocte ſilenti
Angelus, & tota vinctorum in plebe reorum
Felicem ſolum, pietas cui ſancta reatum
Fecerat, alloquitur. Fugit atri carceris horror.
Voce ſimul ſacri Felix & luce miniſtri
Excuſſus tremit, & verbum trahit aure fideli.
Ac primum, velut eludentis imagine ſomni
Accipiat mandata Dei, ſtupet anxius: & ſe

Cau-

(a) IV. Reg. IV. a ver. 34.
(b) Cap. VIII. ver. 3.
(c) Daniel. XIV. v. 35.
(d) Act. cap. 12.
(e) Poem. XV. Natal. IV. nov. edit. a v. 238. ad 270. apud Cl. D. Ruinart Act. Martyr. Sinc. pag. 254. Vid. Cl. P. Orſi Hiſt. Eccleſ. to. 3. ad ann. 750. n. XXXVIII. edit. Neap. pag. 266. ſeqq.

Digitized by Google

Cauſatur non poſſe ſequi, prohibente catena,
Inſuper & clauſtro, ſimul & cuſtode teneri
Carceris obſeſſi. Sed vox divina morantem
Increpitans, jubet excuſſis aſſurgere vinclis.
Et ſubito ut molles manibus fluxere catenae,
Sponte jugo cervix ferrato exuta levatur,
Proſiliuntque pedes laxato caudice nervi.
Mira fides! ſalvis reſerato carcere clauſtris,
Sopito cuſtode, fores interritus exit,
Perque ipſos via fit, per quos via clauditur: ibat
Angelus, & tacitae per amica ſilentia noctis
Lux, & iter Felicis erat. Nonne unus in omni
Chriſtus adeſt ſancto? ſicut viget omnibus idem
Spiritus in Chriſto genitis, ſic ipſa piorum
Gratia concordat. Veterum remeare recenti
Hiſtoria video ſpeciem, qua juſſus abire
Biſſeno ſublimis in agmine diſcipulorum
Petrus, ſponte ſua vinclis labentibus, aeque
Carcere proceſſit clauſo, qua praevius illum
Angelus, Herodi praedam furatus, agebat.
Sic meus, educente Deo, geminata per atra
Carceris, & noctis, reliquis obſcura, ſed uni
Illuſtrata ſibi, Felix impune per ipſos
Cuſtodes, conſtante premens veſtigia paſſu,
Callibus ignotis directus, juſſa petebat.

LXXX. Ex hiſtoria vero Eccleſiaſtica duo tantum referre vacat. Alterum eſt de SS. Theodora, & Antonina, de quibus legimus in Martyrologio Romano, de prima quidem ad 28. Aprilis: *Alexandriae (a) paſſio S. Theodorae Virginis, quae Idolis ſacrificare contemnens, cum eſſet in lu-* pa-

(a) De hac Baronius in not. ibi, *Cenſetur haec eadem cum ea, de qua ſcribit S. Ambroſius lib. 2. de Virgin. licet pro Alexandria* ibi *Antiochia legatur, quod librariorum potius vitio accidiſſe exiſtimamus, cet.* S. Ambroſium videtur ſequutus celebris Poeta Gallus Petrus Cornelius, qui in Tragoedia de eadem S. Theodora Antiochiae id accidiſſe ponit. Vide Admonit. in Acta Didymi, & Theodorae n. 13. Cl. P. D. Ruinart. in Act. Mart. ſinc. pag. 396. Edit. Amſtel. 1713. ubi etiam de SS. Antonina, & Alexandro.

panar tradita, *repente quidam ex fratribus nomine Didymus Dei favore commutatis veſtibus illam eripuit* ; *qui poſtea in perſecutione Diocletiani ſub Euſtrathio Praeſide ſimul cum eadem percuſſus*, *ſimul coronatus eſt*. De ſecunda vero ad 3. Maji : *Conſtantinopoli Sanctorum Martyrum Alexandri militis*, *& Antoninae Virginis*, *quae in perſecutione Maximiani ſub Praeſide Feſto ad lupanar damnata* , *& ab Alexandro*, *qui pro ea ibi remanſerat*, *mutato habitu clam educta*, *cum eo poſtmodum juſſa eſt torqueri* : *& ambo ſimul praeciſis manibus in ignem pro Chriſto injecti*, *egregio peracto certamine coronantur*. Ne vero quis reponat haec duo tam ſimilia facta eſſe conficta, audiat Em. Cardinalem Baronium, qui in not. ad dictum diem 3. Maji lit. (*e*) ſcribit. *Ne quis exiſtimet ob ſimile certaminis genus eoſdem hos eſſe cum Theodora*, *& Didymo*, *de quibus ſupra quarto Kal. Maji*. *Cum etenim frequenter Chriſtianae feminae ad proſtibulum damnarentur*, *ſaepius ſimilis caſus potuit accidiſſe*: *quin etiam Palladius in Lauſiacis id ipſum de alia Virgine Corinthi accidiſſe ex Hippolyto deſcribit* c. 54. *cet.* niſi Falconius *Metaphraſtica* ea eſſe contendat. Alterum exemplum eſt miraculum patratum a S. Benedicto; & huic ſimile deſcribitur in Vita S. Walarici Abbatis Leuconaënſis Primi. Quod ad S.Benedictum de eo narratur (*a*): *Quodam quoque tempore Exhilaratus noſter*, *quem ipſe converſum noſti*, *tranſmiſſus a Domino ſuo fuerat*, *ut Dei Viro in Monaſterium vino plena duo lignea vaſcula*, *quae vulgo flaſcones vocantur*, *deferret*, *qui unum detulit*, *alterum vero pergens in itinere abſcondit*. *Vir autem Domini*, *quem facta abſentia latere non poterant*, *unum cum gratiarum actione ſuſcepit*, *& diſcedentem puerum monuit*, *dicens*: *Vide*, *fili*, *de illo flaſcone*, *quem abſcondiſti jam non bibas*, *ſed inclina illum caute*, *& invenies*, *quid intus habet* ; *qui confuſus valde a Dei homine exivit* : *& reverſus volens adhuc probare*, *quod audierat*, *cum flaſconem*

T *in-*

(a) In act. SS. Ord. S. Bened. ... ex S. Gregor. lib. 2 Dialog.

inclinaſſet, de eo protinus ſerpens egreſſus eſt, cet. Quod vero ad S. Walaricum qui anno 622. obiit, haec narrantur: (*a*) *Dum quaedam illuſtris Matrona per quendam puerum Eulogias in hora prandii, id eſt panem, & flaſcones ei miſiſſet, praefatus puer aviditate cibi, potuſque circumventus partem ſibi retinuit, partemque aliam ſervo Dei praeſentavit, qui hoc factum Divino Numine cognoviſſet, ait: quod nobis nunc allatum eſt, inde Deo gratias referimus: ſed tu fili hoc praevide; ne quid incaute ſumas de illo pane, vel illo flaſcone, quod tibi in quodam loco abſcondere voluiſti: quia ſerpens etiam in illo vaſculo, & in pane illo venenum etiam habetur mortiferum. Tunc ſtupefactus puer illico obriguit rigore; moxque reverſus, ſicut ſervus Dei praedixerat, ita invenit. Nam vaſculum illud cum aperuiſſet, & exinde anguem exire vidiſſet, illum panem contingere nullatenus audebat: ſed tremefactus & confuſus de eo quod geſſerat, ad Dei ſervum rediens poenitentiam de facto gerebat.* Haec loco ad marginem citato, ubi Mabillonius notat: *Idem de S. Benedicto Vitae cap.* 18. Sed quod caput eſt, ipſe Illuſtriſſimus Falconius in Proleg. cap. VIII. illuſtrare, & comprobare conatur Acta a ſe inventa ab exemplis, quum miracula ſimilia iis, quae a ſuo Nicolao Pinarenſi patrata narrantur, in aliorum SS. ejus tempeſtatis Vitis legi oſtendere ſtudet. Ut mirari quis poſſit, Cl. Virum in aliis non approbare, quae ipſe pro *Syſtemate* firmando undique congerere ſummo ſtudio ſatagit.

LXXXI. Sed de his omnibus ſatis ſuperque dictum. Videant interim Viri docti, atque in Eccleſiaſtica hiſtoria apprime verſati, quid ſit de toto *Syſtemate* Falconiano judicandum. Cl. Vir, ut id repetamus, & veluti conſpectum quis habeat eorum, quae diſputata ſunt, S. Nicolaum Myrenſem *Metropolitam* nunquam extitiſſe, niſi in quorundam tenebrionum cerebro contendit. Hujus loco Nicolaum alterum Epiſcopum Pinarenſem ſubſtituit; hunc, non illum, hactenus ab Eccleſia cultum auſo novo arbitratur. Barienſes

(a) Apud Act. Dn. Mabillonii Sec. II. pag. 77. edit. Ven. 1733.

Digitized by Google

ſes ipſos Pinarenſem, non Myrenſem NICOLAUM furto ſublatum Anno 1087. Barium transtuliſſe; *Pinarenſem* demum, non Myrenſem, eſſe Sanctum illum toto Chriſtiano Orbe ſatis ſuperque ob admiranda prodigia, quibus D. O. M. in terris degentem, atque ad Superos profectum clarere eum voluit, celeberrimum, ſummo ſtudio nititur demonſtrare. Adeo ut pura puta commenta ſint ea omnia, quae hactenus de S.NICOLAO Myrenſi Catholica Eccleſia ejuſdem Sancti cultoribus, imo omnibus Chriſti-fidelibus celebranda, atque imitanda propoſuit. Uno verbo, nihil certum eſſe, niſi quod in ſuis Actis cuique legendum exhibuit; idque tanta confidentia effecit, ut ſi Falconium audias, fabulae hiſtoriam ipſe ſubrogaverit, falſitati veritatem, tenebris lucem. Contra pugnant pro S. NICOLAO Myrenſi *Metropolita* S. Methodius, Leo Imperator, dictus Sapiens, ſeu mavis S. Andreas Cretenſis, ac Simeon Metaphraſtes, traditio, Eccleſia denique Catholica Romana, quorum omnium auctoritatem, licet Criticorum armis fortiter impetitam, hactenus tamen non labefactatam, fruſtra Falconius ipſe puris putiſque ſuis, imo parum firmis, nulliuſque momenti conjecturis, peſſundare conatus eſt. Ad haec, S. NICOLAUM Myrenſem multo ante Juſtiniani aetatem fuiſſe ab Eccleſia cultum; certis, iiſque non ita facile contemnendis argumentis itidem oſtenſum eſt, Actaque ipſa Falconiana, & ſibi non coſtare, & cum certis, indubitatiſque hiſtoriis pugnare, (vid. num. LXV.) Quamobrem quod Vir Summus Illuſtriſſimus & Cl. Joſeph Simonius Aſſemanus (*a*) de Falconio ſcripſit, cum judicium profert de hiſtoria Vitae S. Januarii, jure meritoque de S. NICOLAI Actis, ac Prolegomenis Cl. Falconii uſurpare poſſes: *Spiſſum Opus, doctriniſque plenum: ſed alicubi plus juſto conjecturis ſuis, fabuloſiſque etiam narrationibus indulget pereruditus Auctor.* Niſi quod, ſi totum *Syſtema* Falconianum inſpicias, non *alicubi*, ſed ubique hoc locum habere debeat. Ceterum quoniam Illuſtriſſimum Falconium

novitatis ſtudio nimis abreptum video, utrum fallar nec ne, aliis expendendum relinquo. Illud ſane monitum velim a me non ad creandam illi invidiam haec eſſe animadverſa: Claris. enim Virum, bene de Rep. litteraria meritum maximi me facere ingenue fateor; ſed ut quiſque manifeſte pervidere poſſit, doctiſſimos Scriptores, eoſque eruditione inſignes, ſaepe in id imprudenter incidere, quod in aliis jure, ac merito reprehendere ſolent; neque item quis credat, tantam eſse Falconii auctoritatem, ut res ab eo jam confecta ſit, ſed potius totum de S. Nicolao Falconianum *Syſtema* aequa rationis lance penitius expendat. Quod certe ſtrenue de more (ſi ad haec deſcendere voluerit) praeſtare poterit laudatus Vir, Summus Aſſemanus praeſertim in praeclaro de Eccleſiae Sclavicae Kalendariis Opere (cujus Tomus I. jam prodiit) Tomo III. ad *6.* Decembris, ubi de S. Nicolao Myrenſi. Quo in loco hanc rem ob novum, inauditumque Falconii *Syſtema* jam celebrem egregie pertractare non omittet. Idque eruditorum omnium votis avidiſſime expectari ex eo perſuaſum habeo, quod Illuſtriſſimi Aſſemani judicium adeo magni quicunque vere ſapiunt ſine dubio faciant, ut ſi ab eodem celeberrimo Viro pro S. Nicolao Myrenſi Epiſcopo feratur, Falconianum *Syſtema* funditus everſum iri pro certo habeam. Interim quoniam in Kalendario Neapolitano commentariis illuſtrando vehementer inſudat Clariſ. Vir Alexius Symmacus Mazochius, Eccleſiae Neapolitanae Canonicus, decus itidem atque ornamentum, confido fore, ut hanc provinciam vel ab ipſo Kalendarii ordine datam, vel ſponte ſuſceptam, ea eruditione doctrinaque tractandam aggrediatur, ut inde quiſque luculenter ac firmiter judicare poſſit, utrum de S. Nicolao *Myrenſi Metropolita* conclamandum, an triumphus agendus ſit: ipſique Viri Clariſ. Bollandiani ſatis ceteroquin, congeſtis undique monumentis, ad id inſtructi rem adeo confectam ſuo tempore inveniant, ut minor de S. Nicolao, quam de aliis Sanctis labor, ea qua ſolent eruditione, ipſis ſit exantlandus. Quod ad me attinet, quemcunque exitum haec

mea

Digitized by Google

mea Elucubratio ſit habitura, illud ſane mirifice me recreat, eam forte ſtimulo futuram, ut ab aliis, iiſque doctioribus Viris, atque in Eccleſiaſtica hiſtoria apprime verſatis res accuratius ad examen revocetur, ac veritas tandem ſpiſſis illis tenebris, quibus eſt involuta, feliciter diſcuſſis, veritas, inquam, in propatulo luculenter conſpiciatur.

LAUS DEO O. M. AC D. N. P.

Finis primae Diatribae.

Digitized by Google

INDEX
CAPITUM.
DIATRIBAE I.

CAPUT I.

Oſtenditur quid hactenus Critici de S. Nicolao Myrenſi animadverterint. Exponitur Illuſtriſſimi Falconii de S. Nicolao Syſtema. pag. 1

CAPUT II.

Expenduntur Acta vulgata S. Nicolai. Clariſs. Falconius Acta S. Methodii, Leonis Imperatoris, & Metaphraſtis cum ſuis Actis excudi curavit. Quid in his Actis de S. Nicolao narretur, per ſumma capita exponitur. 6

CAPUT III.

Auctoritas S. Methodii vindicatur. Expenditur quoque obiter vis argumenti negativi; ſive ex ſilentio veterum Scriptorum deſumta; ubi etiam de Leonis VI. Imperatoris auctoritate. 12

CAPUT IV.

De Actis S. Nicolai Myrenſis a Metaphraſte conſcriptis. Ejuſdem Scriptoris auctoritas aſſeritur; eumque non ſecus, atque ceteros hiſtoricos, ni indubia, & certa monimenta obſtent, omnem mereri fidem demonſtratur. 26

CAPUT V.

Ex aliis monumentis, quam ex vulgatis S. Nicolai Myrenſis Actis, ejuſdem aetas Pinarenſi antiquior eruitur, nimirum ex Templo in ejus honorem a Juſtiniano Imperatore erecto, atque ex Statione, & Diaconia, tempore S. Gregorii I. Romae ſub titulo S. Nicolai in Carcere exiſtente. 36

CA-

Digitized by Google

C A P U T VI.

Ex aliis monumentis, quae Cl. Falconius exagitat, S. Nicolai Myrenſis prae Pinarenſi antiquitas abunde ſuadetur. 65

C A P U T VII.

Breviarium Romanum vulgatis de S. Nicolao Myrenſi Actis mirifice favet. Ejuſdem Breviarii Auctoritas in factis hiſtoricis parvi non eſt facienda. 80

C A P U T VIII.

Acta Primigenia S. Nicolai a Clar. Falconio inventa, ac publice typis excuſa, expenduntur, atque nullius auctoritatis eſſe luculenter ſuadetur. 89

C A P U T U L T.

Brevis excurſio in Prolegomena, & Notas in Acta omnia, quae Illuſtriſſimus Falconius edi curavit. 115

Digitized by Google

ERRATA.

*Pag.*2. Verbo.	Uno verbo.
4. Nullae	Nulhus
7. Tum	*Tum*
11. vocat	vocant.
13. ſuggerit	regerit
25. & poterit	poterit
44. Valde vero enim ſimile eſt	Vero enim ſimile non eſt.
50. ad ſtationem	quod ad ſtationē
91. pervagatur. Id ſane eſſe dicas, quod	pervagatur : id vero eſt, quod
101. *Not.*(a) Puenot	Praenot
102. Viri	Vini
105. *in not. col.* 2. *γνωσίμα*	*γνωσια*
106. *periculi.*	*periculi?*
112. vertat	verſat

119. *μη ρὸς*	*μητρὸς*
120. quam ea, quae mirabiliora	quam miracula, eaque mirabiliora
Ibid. Myra	Myrae
Ibid. atque ea miracula, quae	atque ea, quae
121. ſubſtineret	ſubſtinerent
125. *not.*(b) Vide not. in fine n. LIII.	Vid. n. LIII. in fin.
128. oppoſitiſſime	appoſitiſſime
132. *not.*(d) *juxta aliquorum Auctorum ſententiam*	Delenda
138. Ideo ut	Adeo ut
141. *adnotare non omittit, cum*	adnotare non omittit, cum
142. juvarent	jurarent

VA1 1541625

Digitized by Google